HISTORIA JURIS CIVILIS ROMANORUM, QUÂ EJUS TUM ORIGO, &...

Jean Doujat




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
6 A
60

4

HISTORIA JURIS CIVILIS ROMANORUM,

Quâ ejus tum Origo, & Progressus, Autoritas, & Utilitas: tum Justinianæi Partes, atque Ordo Partium demonstrantur. Ubi & Gallici Juris Origo perstringitur.



Exarabat JOANNES DOUJATIUS, *Antecessorum Parisiensium, & Regiorum Professorum Primicerius.*





LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud JOANNEM DE LA CAILLE viâ Jacobæâ, ad Insigne Prudentiæ.

M. DC. LXXVIII.
CUM PRIVILEGIO.







VIRO SUPERILLUSTRI, D.

MICHAELI LE TELLIER,

FRANCIÆ CANCELLARIO,

JOANNES DOUJAT ANTECESSOR,

Salutem.



UJUS potiùs auspiciis prodeat in publicam lucem Romani Juris Historia, *quàm tuis*, GLORIOSISSIME CANCELLARIE? *quem, non modò ex dignitate conditorem vindicemque Juris Gallici Romanis ferè è fontibus derivati,*

ſed ex rerum excellenti peritia, exq; incorrupta vitæ ac morum integritate, omnis Juris, Juſtitiæque, ſupra Sulpicios omnes, Conſultiſſimum uno cunctiore agnoſcunt ac prædicāt.

Eſt verò cur tibi nobiſcum tute ipſe gratulere, quòd non per te ſolùm, ſed per utrumque digniſſimum te patre filium, fas ac leges ſpiret undique præclara familia tua. Cum enim ea trium diverſorum ordinum Eccleſiaſtici, Togati, Militaris, primariis dignitatibus atq; muneribus ſupra cæteras ſplendeat: cujuſvis generis Jura, Divinum, Humanum; Publicum, Privatum; Pacatum, Bellicum, ita domi tuæ florent: ut apud Te, velut in communi ſcientiæ æqui & boni domicilio, ſedem fixiſſe videantur.

Juris quidem Sacri ſingularem cognitionem, cum exquiſita rerum Divinarum doctrina, præcipuo quodam jure ſibi vindicat Illuſtriſſimus Carolus Mauritius Tellerius Rhemorum

Archiepiscopus, Galliæ Belgicæ Primas, Primusque sui Ordinis Patriciorum quos Pares Franciæ vocant: sed hisce omnibus titulis major; vel si, tot inter alias dotes, ex sola Propriæ, universæque Ecclesiæ Jurium ac dignitatis defensione spectetur.

Te, MAGNIFICENTISSIME CANCELLARIE, *quis nescit regiâ & moris antiqui viâ, per legitimos honorum gradus, hinc mentis perspicacissimæ, inde limatissimi judicii, & indefessi laboris adminiculis, Juris universi; tum publici, quo judicum quorumvis munia; tum privati, quo civium res familiaris, fama, vita ipsa continentur; præceptam jamdiu notitiam ita usu perfecisse: ut ad majora, quibus pauci pares, utilitas Te publica necessariò vocaverit. Ex quo autem in aulæ arcanis, & summæ rei per difficillima tempora administratione versatus es, Jurium Regiorum &*

majestatis Francicæ pari vigilantia & fide tuendorum curâ, Te & prudentissimæ Annæ Augustæ, quæ diu in regni procuratione fuit; & Regi maximo cumulatissimè probasti, intelligentissimo illi justissimoque hominum ac rerum æstimatori, & cujus admirabili judicio ac propè divino probari nihil potest, quod non sit omnibus partibus omnibusque numeris absolutum.

Militare autem Jus, apud nos jamdiu neglectum, sic ex Regis præscripto per Te, perq; Illustrissimum Franciscum Michaëlem Tellerium, ultra omnem veterum Romanorum severitatem excultum est: ut nihil quod ad Castrensem disciplinam, mutuaq; imperandi ac parendi officia; nihil quod aut ad plebis cruentos inter armorum tumultus solatium, aut ad fomenta commodaque militum salutem publicam tuentium, nihil quod ad Regis invictissimi gloriam pertineat, vestram utriusque fugerit diligentiam.

Nec ſatis vobis eſt, quod aliàs præclarum habebatur, Regia aliis juſſa accuratè deſcribere, atque mandare: niſi ea ipſi quoque, ut gradu, ita opere primi obeatis, omniumq; ſedulitatē non modò verbis, ſed, (quod efficaciſſimum eſt adhortandi genus,) factis veſtris aſſiduè accendatis. Non enim magis imperia Magni Ludovici, quàm ab eo accepta è proximo exempla ſollicitudinis, cunctarumq; neceſſariarum ad ardua quæq; conficiēda virtutum, fideliſſimâ imitatione transfunditis in inferiores. Hinc impenetrabili ſilentio ſepta conſilia: hinc ſubminiſtrata inceptis alacriter & facilè perficiendis inaudita antehac adjumenta; hinc expeditionum, etſi non ſuo tempore ſuſceptarum, nunquam fallentes, & omnibus præterquā auctoribus, improviſi ſucceſſus. Tantum ſapientiſſimi, nec ſibi parcentis moderatoris rebus momentum afferunt haud diſſimiles adjutores; & concurrente præſtantiſſi-

morum ducum militumq; strenuissimorum ardore, providenter comparata, atque opportunè dispensata ingentium ceptorum subsidia.

Sed Tuas Tuorumque, ex Te ortas uno, virtutes, factaq; captum hominum fidemq; superantiæ recensere, & supervacaneum in tanta eorum luce; nec unius epistolæ fuerit, nec operæ meæ. Id solum adjicere liceat inter tot rerum militarium curas, nunquam æqui te cepisse oblivionem, CANCELLARIE GLORIOSISSIME. *Semper memor, esse belli, sicut pacis jura: non modò id egisti ne silerent leges inter arma; sed armorum ferociam legum moderamine temperasti, eorumque licentiam subjecisti harum majestati. Nunc verò ad summum Togæ honorem evectus, tantò lubentiùs tuam in Juris studia propensionem expromes, quantò illa apud exteros adhuc vigentia florentiaque, jamdiu in Gallia, ad ætatis gentisque nostræ dedecus, ja-*

tere non sine indignatione intelligis. *Per unum Te*, EXCELLENTISSIME CANCELLARIE, *resurgere se posse confidit afflicta Iurisprudentia. Te auxiliatorem, Te Instauratorem ac Patronum, implorat, speratque. Hoc tantùm ipsi nobisque optandum, ut pius, victor ac triumphator semper Augustus Ludovicus, Regum exemplar, diu feliciterque imperet; Teque ipsi & Galliæ incolumem servet propicium votis publicis numen. Sic Iustitiæ, in Te, ac per Te viventis ope, dudum intermortua ejus Parens Legum Disciplina, vera illa Judiciorum, & societatis humanæ moderatrix, tandem aliquando reviviscet: ac per eumdem Te plenissimè restituta, regnum suum apud nos quoque recipiet, ad gloriam tui nominis immortalem. Vale. Lutetiæ Parisiorum prid. Kal. April. anno Domini* M. DC. LXXVIII.

APPROBATIO.

NOs, in Academia Pariſienſi Antecesſores, teſtamur Viri Clariſſimi JOANNIS DOUJAT Antecesſorum & Profesſorum Regiorum in eadem Academia Primicerii Librum, cui titulus eſt, *Hiſtoria Juris Civilis Romanorum, cum adjuncta Chronologia Juridica*; à nobis perlectum fuiſſe, atque adeò in eo nihil occurriſſe, quod plurimæ, ac variæ eruditionis luminibus illuſtratum, & excultæ Orationis copia perpolitum non ſit: ut ejus non permittenda modo, ſed optanda editio ſit, tanquam facilem ad Juris Civilis intelligentiam aditum ejus ſtudioſis patefactura: in cujus rei fidem híc ſubſcripſimus. Lutetiæ Pariſiorum, die Martii ſeptimâ anno milleſimo ſeptuageſimo octavo.

HALLE' Regius Profesſor & Syndicus.

BAUDIN Antecesſor.



INDEX CAPITUM.



PRÆFATIO.



NOS ad justitiam esse natos, neque opinione, sed naturâ constitutum esse Jus, Tullius affirmat, *lib. 1. de legibus*. Certè, ut, eodem judice, nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat: ita nulla inveniri natio potest, quæ, licèt quid sit Jus nesciat, Juris tamen aliquâ specie non utatur.

I. Jus aliquod apud omnes gentes in usu.

Sed cùm gentes aliæ aliis cultiores fuerint, artesque alias alii studiosiùs excoluerint: tantùm præceptis justitiæ servandis, jurisque regulis perdiscendis tradendisque Romani supra cæteros omnes populos excelluerunt; ut dubium sit, utrùm imperio ac religione, quibus totum ferè orbem olim in ditionem suam redactum, adhuc subjectum tenent; an Jurisprudentiæ laude nationes

II. à Romanis præ cæteris excultum.


reliquas superaverint. Idque vel ex eo patet quòd post amissum imperium, legibus tamen suis, non modò per Europam omnem, quacunque Christiana viget fides, sed & Leunclavio teste, in media Turcarum adhuc barbarie regnant.

III. Jus Romanū ut rectè discatur, ejus cognoscenda Historia.

Illius itaque Originem, Progressum, atque Historiam universam paucìs complecti constitui. Ejus quippe rei cognitio in toto studii juridici decursu omnino necessaria est, utpote sine qua, tum in percipiendis legibus singulis, tum in conciliandis quæ invicem pugnare videntur, meræ ubique tenebræ occurrant. Hinc autem facilè, & autoritas juris illius, & studii ejusdem addiscendi, cunctis hodieque forum ubivis sequentibus incumbens necessitas apparebit.

IV. Varius ejus pro variis temporibus status.

Romanæ Jurisprudentiæ non eadem semper ratio fuit: sed pro variis Reipublicæ mutationibus varia. Ejus igitur status in tria admodùm diversa tempora distingui potest: quorum Primum ante Justinianum fuit: Alterum sub ipso Justiniano, qui Jus Romanum in ordinem & quasi in artem redegit: Tertium post eumdem Imperatorem.



DE JURIS CIVILIS ORIGINE ET PROGRESSU ANTE JUSTINIANUM.

CAPUT PRIMUM.

JUs, quod præcessit Justinianum, tribus maximè Intervallis constat, quibus quicquid continetur, Jus Priscum est. Antiqui autem illius Juris Intervallum primum continet Regium statum, annisque 244. finitur. Secundum Spatium Reipublicæ liberæ statum per annos circiter 486. complectitur, ad legem usque regiam de Imperio Augusti latam an. u. c. 730. Adjungi possunt anni 36. Reipublicæ adhuc quasi liberæ, sub Augusto ad primordia Tiberii, qui comitia in Senatum, aut veriùs omnem Senatus populiq; potestatem ad se transtulit. Tertium intervallum est status Monarchici sub Imperatoribus, à Tiberii primor-

I. Antiqui Juris tres diversæ ætates.

diis ad initia Justiniani, estque annorum fermè 514.

ÆTAS PRIMA. sub Regibus. 1. Leges Regiæ.

PRIMÆ ÆTATIS Jurisprudentia *Leges Regias* habuit, à Regibus nempe, Comitiis plerasque Curiatis, quasdam Centuriatis latas.

Curiata Comitia à Curiis appellata, in quas, sacrorum præsertim causâ, Cives conveniebant ex instituto Romuli. Is quippe populum in tres primùm majores partes, quæ Tribus dictæ sunt; atque harum singulas in partes decem minores divisit, quas vocavit Curias; propterea quod Reip. curam per sententias partium earum expediebat, ut loquitur Pomponius Jurisconsultus in lege 2. Digestis de Origine Juris. Atque hæc sola Comitia in usu fuere usque ad Servium Tullium, qui habitâ census & facultatum cujusque ratione, universum populum in sex Classes partitus est, classibus in Centurias omnino 194. distinctis, ex Livio lib. 1. Hinc per Centurias lata suffragia, in Comitiis, quæ idcirco *Centuriata* dicta. Prima porro Classis, quæ ex primoribus & locupletioribus constabat Civibus, Centurias 98. habebat: & sic majorem per se numerum, quam reliquæ omnes simul;

quæ numerum 96. non excedebant: quod ideò factum, ut in Comitiis superiores essent ii quorum maximè intererat salvam esse Rempublicam.

Latas Regum temporibus Leges in unum volumen regnante Tarquinio superbo, aut potiùs Prisco, redegerat Sext. Papirius, cujus opus appellarunt *Jus Civile Papirianum*: de quo Jure conscriptum à Granio Flacco librum testatur Jurisconsultus Paulus in lege 144. Dig. de verbor. significat. In editione Florentina. Qui liber, Commentarius videtur fuisse in leges Regias. Illius Granii Flacci meminit Macrob. 1. Saturnal. cap. 18. & Arnob. lib. 3. adversus Gentes.

Harum legum fragmenta quædam adhuc supersunt, Ant. Augustini, Fulvii Ursini, Pauli Manutii, aliorumque eruditione præstantium virorum studio, ex priscis scriptoribus collecta; conditarum scilicet à Romulo, Numa, & Servio Tullio (cujus quinquaginta extitisse de contractibus, deque criminibus leges discimus ex Dionysio Halicarnasseo lib. 4.) Sed & legum ab aliis quoque Regibus latarum sententias, cumque his recepta sub Regibus singulis insti-

tuta, undique conquisita, cæteris, accuratiùs vel audaciùs, consarcinarunt, Valentinus Forsterus in sua Juris Historia, & Joannes Velcurio in commentariis ad T. Livium; inter quos tamen de numero legum aut institutorum cujusque non satis convenit. Sunt enim

		Apud Forster.	apud Velcurion.
Leges seu Instituta.	Rom.	17.	25.
	Numæ	6.	33.
	Host.	1.	16.
	Anci		12.
	Tarq. Pr.		24.
	Tull.		50.

Tarquinius Superbus nullas tulit Leges: exlex ipse, alienis invidit.

ÆTAS SECUNDA sub Republica.
1. *Incertum jus.*

SECUNDA ÆTATE Romani, primùm quidem incerto jure, saltem quod attinet ad privata negotia, usi sunt. Licet enim statim post Reges exactos, teste Dionysio Halicarn. lib. 5. legem tulerint primi Consules de restituendis Servii Tullii legibus, quas Tarquinius Superbus aboleverat: videntur tamen omnes posteà sublatæ Lege Tribunitiâ; quâ Tribunorum plebis potestas constituta est, primâ secessione plebis à pa-

tribus, anno fermè 17. ab ejectis Regibus, ut probat eruditissimus Cujacius ad d. l. 2. §. 3. D. de Orig. Juris. Inde post annos 56. nimirùm anno à condita urbe fermè 300. ad sedandas plebis, certo jure uti postulantis, ac Patriciorum, discordias, convênit ut undecunque optimæ leges conquirerentur, & constituerentur.

Itaque agente Tito Romilio, post Caium Terentillum Arsam Tribunum plebis, missi ea de causa tres legati Athenas, atque in alias Græcorum civitates, tum quæ in ipsa terra Græcia florebant, tum quæ in Italia conditæ fuerant à Græcis: non solùm intra eum tractum, cui ex eo magnæ Græciæ inditum nomen, (ubi Locri, Thurii, aliique populi); sed & extrà eam regionem, ac vel in ipsa Tuscia (ubi Falisci, studiosi justitiæ habiti, atque ideo *æqui* à Virgilio dicti, ut Servius notat). Legatis triennio post reversis, adjecti septem viri, qui communi cum prioribus operâ certum Romanis Jus constituerent. Sic Decemviri legibus scribendis creati, translata in eos Consulum, cæterorumque Magistratuum potestate; ita ut singuli decimo quoque die Jus redderent. *2. Leges XII. Tabularum.*

Eorum Princeps habitus Appius Claudius. Hi legum tabulas Decem, ex Solonis maximè legibus, Hermodoro Epheſio inteprete, conſcripſerunt, & promulgarunt Comitiis Centuriatis anno ſecundum Livium 302. Verùm cùm adhuc nonnulla deeſſe viderentur, creati cum Appio novi Triumviri, à quibus in duas Tabulas, communi operâ congeſtæ ſunt Leges aliæ, ex Regiis præſertim veteribus inſtitutis, & maximè ex Servii Tullii Legibus ſelectæ: quarum aliquæ moribus ſæpe adſcribuntur, quòd uſu anteà frequentarentur. Hujuſmodi eſt Lex Romuli, quâ conſtituta fuerat patrum in filios eximia poteſtas cum jure vitæ & necis. His duabus Tabulis adjectis ad decem anni ſuperioris Tabulas, extitit δωδεκάδελτον, ſive Duodecim Tabularum volumen; quæ Leges anno 304. ab u. c. probatæ, *Fons omnis publici privatique Juris* fuere, ut Livius appellat lib. 4. aut, ut Tacitus annal. 3. *finis æqui Juris.*

Ex his fluxere Juriſprudentium interpretatione, tum diſputatio ac tritura fori (quæ Juris Civilis nomen ſibi ſpecialiùs vindicavit), tum legis Actiones, ſive formulæ agendi ex unaquaque ea-

rum Legum, Jure Civili Flaviano & Aeliano comprehensæ, de quibus Pomponius d. l. 2. §. 5. ac duabus sequentibus de Origine Juris.

Has Duodecim Tabularum Leges pueri foro destinati, velut solenne carmen, addiscebant, teste Cicerone: qui earum libellum audacter affirmat, unum Bibliothecas omnium Philosophorum, & autoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare. In illis enarrandis priscorum Jurisprudentum non pauci desudaverant: imprimis autem Q. Antistius Labeo, & ultimo loco Caius.

Ex Tullii ejusdem libris de Legib. atque ex aliis autoribus priscis, hæ leges superiori atque hoc nostro sæculo à pluribus eruditis viris, quoad fieri potuit, collectæ & explicatæ sunt, in quibus P. Pithœus, Jac. Rævardus, Theodorus Marcilius non postremum locum tenent. Sed feliciùs, cæteris Jac. Gothofredus, nativo eas ordini videtur restituisse.

Hoc temporis intervallo, post generales illas Leges duodecim Tabularum, singulares aliæ Leges à populo, ex Senatus ut plurimùm autoritate, variis de rebus constitutæ sunt. Illarum pleræ- *3. Leges singulares.*

que, partim per ſeditionem extortæ, partim per ambitum latæ; omnes de ſingulis rebus, aut perſonis, non de univerſo jure fuerunt. Leges hæ Singulares de autorum ſive Magiſtratuum, unamquamque ſuadentium & rogantium, nomine dictæ, tum ab aliis, tum à Fulvio Urſino, Paulo Manutio, atque Antonio Auguſtino collectæ ſunt.

Ferebantur Leges per hæc tempora à Majoribus Magiſtratibus, qui diu ex ſolis Patriciis fuerunt; tam Ordinarii, Conſules putà, Cenſores, Prætores; quàm extra ordinem creati, veluti Dictatores, Tribuni militum Conſulari poteſtate, &c. Solebant autem ferri Centuriatis Comitiis; ita ut à ſingulis Civibus in ſua Centuria, ſuffragium, initio quidem vivâ voce diceretur; poſteà verò ex lege Papiriâ à Caio Papirio Carbone Tribuno plebis anno u. c. 621. Coſſ. Publ. Popilio Lænate & Publ. Rupilio latâ, cautum eſt, ut in jubendis legibus, aut vetandis, populus Tabellâ ſuffragium ferret, quò ſcilicet liberius eſſet cujuſque judicium. Porrigebantur unicuique, ovile ſive ſeptum per pontem intranti, tabellæ duæ, quarum altera duabus litteris notata

notata erat *V. R.* id est, *uti rogas*: altera verò literam *A.* præferebat, id est, *Antiquo*. Priori utebantur qui legem probabant, directo Sermone ad Legislatorem, qui eam rogabat, id est, interrogabat an eam vellent. Posteriore indicabatur legis rejectio: id enim significabat verbum *antiquare*.

Legibus adjungenda sunt Plebiscita, sic appellata, quod à plebe sciscerentur, non ab universo populo, ut leges. Verùm & hæc legum sibi nomen sæpenumerò vindicant, & à Tullio vix aliter quàm Tribunitiæ leges vocantur, quòd Tribunos plebis haberent autores. Et verò cùm anno u. c. 260. propter Patriciorum fœneratorum sævitiam, plebs armata à Senatu secessisset ultra Anienem Fl. in montem, qui deinde Sacer dictus est: Menenii Agrippæ suasu in concordiam quidem rediit; sed eâ lege ut Tribunos suos, proprios scilicet plebis Magistratus haberet, quorum operâ defendi posset ab injuriis potentiorum. Sed Tribunorum Scitis nonnisi plebeii tenebantur adstricti; donec alterâ secessione in Aventinum Crustumerinam illam sequutâ, ob Appii Claudii Decemviri impotentiam & 4. *Plebiscita.*

libidinem, à Virginio Centurione, anno urbis 304. concitatâ, constitutum est, lege à Marco Horatio Consule latâ; ut ea in omnes Cives, etiam Patricios valerent. Verùm, cùm hæc lex minus servaretur: tertiâ deinde seditione & secessione in Janiculum anno u. c. 467. cautum est novâ lege per Hortensium Dictatorem, ut Plebiscitis omnes Quirites æquè tenerentur.

Fiebant Plebiscita Comitiis Tributis, quibus Plebeii sua quisque in Tribu suffragia ferebant, rogante Tribuno plebis, qui Magistratus diu Plebeiis tantùm patuit.

5. *Senatusconsulta.*

Per eadem tempora edebantur Senatusconsulta, id est Decreta Senatus: qui ordo statim ab urbe condita consilium publicum civitatis fuit, & de maximis quibusque rebus consultabat ac decernebat; tribus tantùm causis à Romulo populi potestati permissis, cùm scilicet leges ferendæ essent, Magistratus creandi, aut bellum indicendum finiendumve esset: quod teste Dionys. Halicarn. lib. 4. ita prioribus sæculis fiebat, ut Scita populi à Senatu posteà confirmarentur; posterioribus verò temporibus ita ut Senatus autori-

ritate suâ populo præiret, ex lege nimirum Publiliâ, quâ Q. Publ. Philone Dictatore sancitum est, ut legum, quæ Comitiis Centuriatis ferrentur, Patres, ante initum suffragium, autores fierent anno u. c. 514. ut Livius lib. 8. testatur. Atque hæc erat Senatus *Autoritas* à *Senatusconsulto* diversa. Illa quippe plenum per se robur non habebat, nisi quatenus plerumque populus judicium Senatus sequebatur: at Senatusconsulta de rebus quarum penes eum ordinem solum potestas erat, statim valebant, non expectato populi consensu.

Anno deinde 386. ab u. c. cùm Consules, qui hactenus juri dicundo præfuerant, bellis ambo extra urbem avocarentur; institutus atque huic muneri præpositus est Prætor Urbanus, qui edictum initio Magistratus sui publicè proponebat in tabula dealbata, quæ idcircò album Prætoris dicebatur, ut scirent homines, quòd jus de quaque re quisque dicturus esset. Hæc Edicta, quemadmodum Prætoris ipsum munus, annua erant, unoquoque Prætore proprium edictum proponente: unde Jus illud edictale minùs certum erat; do- *6. Edicta Magistratuum.*

nec lex Cornelia anno u. c. 673. à L. Cornelio Sylla iterùm Consule rogata, sanxit, ut Prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent: unde Ofilius J. C. edictum Prætoris primus composuit circa Augusti initia ex Pomponio d. l. 2. §. 44. de Orig. Juris. Alii quoque Magistratus, etiam minores & Plebeii, edicta proponere solebant: sed non Jurisdictionis causâ, verùm prout res inciderat, quoties monendus populus erat, seu aliquid jubendum publicè. Ædiles tamen Curules, cùm de mancipiis & jumentis emendis vendendisque, aliisve rebus ad ipsorum curam spectantibus cognoscerent, Edictum suum proponebant. Additi Urbano alii quoque Prætores partim in urbe, vel inter peregrinos, vel de certis rebus, tutelis putà, fideicommissis jus dicebant: alii in provinciis. Aucto itaque paulatim numero Magistratuum, ex his omnibus decem Tribuni plebis, Consules duo, decem & octo Prætores, sex Ædiles in civitate Jura reddebant, teste Pomponio d. l. 2. § 34. Horum varia Edicta Juris dicendi causâ comparata, generali Juris Honorarii nomine continebantur.

Poſt Auguſtum verò, tranſlatis à Tiberio ex campo Martio in Senatum Comitiis, ut Tacitus lib. 1. Annal. tradit, ſimulacrum quoddam autoritatis, in privato præſertim jure conſtituendo, huic ordini relictum eſt: cùm quod de unaquaque re principes conſtituturi eſſent, orationibus in Senatu recitatis, aut epiſtolis ad eum miſſis complecti ſolerent, eaſque Orationes ſive Epiſtolas Senatuſconſulta de his rebus ſequerentur: unde hujuſmodi Scita, modò ſub nomine Senatuſconſultorum, modo ſub hujus vel illius principis, Orationum aut Epiſtolarum nominibus promiſcuè laudantur: quod à Tiberio ad Marcum Antoninum valuit: eſtque hæc prima pars Juris quod tertia ætate Romanæ Juriſprudentiæ obtinuit. ÆTAS TERTIA ſub Imperatoribus. 1. *Senatuſconſulta ſecundùm Orationes principum.*

Præterea Imperatoris Hadriani juſſu, ejuſque anno 15., Chriſti circiter 132., *Edictum perpetuum* à Salvio Juliano Juriſconſulto non ſolùm prioribus Prætorum Edictis in ordinem ac titulos digeſtis; ſed nonnullis etiam additis, detractis, aut immutatis compoſitum fuit; cujus æquiſſimum Jus fundus Juriſprudentiæ præcipuus ex eo haberi cœpit. 2. *Edictum perpetuum.*

Huic non absimile fuit Edictum Provinciale, quo utebantur in Jure dicundo Rectores provinciarum, admixto, si quid specialis Juris in unaquaque provincia ex fœderum legibus, aut privilegio quodam servaretur.

3. Responsa Prudentum. Responsis quoque Jurisprudentum ab Augusti temporibus magnum robur accessit. Nam præter quàm quod eorum consilio Imperatores Jus dicebant, & Jura condebant; selectis etiam ex eorum numero quibusdam, non privatâ solùm, ut priùs, sed publicâ & principis autoritate de Jure respondendi facultas concessa non est.

Celebres Jurisconsulti Rom. Duodecim quidem Tabularum & Interpretatio & Actiones apud Collegium Pontificium diu fuerant, velut arcanum quoddam. Sed Appii Claudii cæci scriba Cn. Flavius subreptum Actionum librum populo tradidit, ex quo Tribunatum plebis, Senatoriam dignitatem & Ædilitatem consequutus est: deque ejus nomine liber ille Actionum appellatus est Jus Civile Flavianum: cui novum Actionum, quæ adhuc deerant, librum adjecit paulo post, ac populo dedit Sext. Ælius: unde dictum Jus Civile Ælianum. Nihilo tamen minus

magnam ſemper autoritatem apud populum ex illa Legum interpretandarum poteſtate retinuerunt, non modò Pontifices, ſed & cæteri Juriſconſulti, tum quod, cùm omnia ferè negotia ſolennibus adeò alligata eſſent, ut qui ſyllaba cadebat, is causâ quoque caderet, peritorum conſilio in rebus ſuis ritè ac tutò gerendis homines indigerent: tum quod eam ſcientiam nonniſi viri in civitate Primarii profiterentur, ut qui hanc ad conſequendos Magiſtratus certiſſimam eſſe viam viderent. Memorantur imprimis *Appii Claudii* duo, Decemvir & Centimanus qui poſteà Cæcus ex caſu cognominatus, & P. *Sempronius* quem ſolum ex omnibus Romanis populus Σοφὸν, id eſt, Sapientem idcircò appellavit. C. quoque vel P. Scipio Naſica, & Quintus Mucius.

Sed hi aliique ſimiles vel in latenti Jus Civile retinere cogitabant, vel ſolùm Conſultatoribus potiùs quàm diſcere volentibus vacabant, itaq; omnium primus Tiberius Coruncanius publicè profeſſus traditur qui Conſulatum geſſit anno u. c. 473. primuſque de plebe Pontifex maximus creatus eſt circa annum 500. Poſt Coruncanium Mar-

cus Cato ejusque filius; tum Publius Mucius, Marcus Junius Brutus, & Manilius, Quintus Scævola, ejusque discipuli, in quibus Q. Ælius Tubero, Sextus Pompeius magni Pompeii patruus, Aquilius Gallus. Clari præ cæteris Servius Sulpicius, Alfenus Varus, Aulus Ofilius, & Caius Trebatius Testa cognomine, & A. Cascellius, Ciceroni suppares aliique maxima ex parte Consulares, Prætorii, quidam Pontifices etiam maximi fuêre.

Sabiniani & Proculeiani.

Per hæc tempora dividi cepere Jurisconsulti in duas velut sectas sive familias; quæ ab Imperio Augusti ad Marcum usque Antoninum extitere: earum Autores memorantur Atteius Capito qui Consul cum Germanico fuit anno 764. Ofilium secutus, & Antistius Labeo, institutus à Trebatio. Prior in iis quæ ei tradita fuerant, perseverabat. Labeo ingenii qualitate, & fiducia doctrinæ plurima innovare instituit, ut est apud Pomponium sæpius laudatum l. 2. D. de Origine Jur. §. 49. Ab illo Sabiniani sive Cassiani, ab hoc Proculeiani sive Pegasiani orti, quorum series ibidem sic describitur.

SABINIANI		PROCULEIANI
Ab *At. Capitone*		Ab *Antist. Labeone.*
	Sub Tiberio	
* *Masur. Sabinus*		*Nerva Pater*
	Sub Calig. Claud. & Nero.	
* *C. Cassius Longin.*		* *Proculus Nerva fil.*
	Sub Vespas. ejusque filiis	
Cal. Sabinus		* *Pegasus*
	Sub Traiano,	
Javolenus Priscus		*Celsus pater*
	Sub Hadriano, & Anton. pio	
Aburnus Valens, Tuscianus Salvius Julian.		*Celsus fil., Neratius Prisc.*

Qui post hos Jurisprudentiam cum laude excoluerunt, ab Antonino Pio ad Constantinum ferè, hi nulli sectæ addicti, dissidia componere magis distinctionibus adhibitis, quàm augere studuerunt: Ercifcundi idcircò appellati, id est, Divisores; quod Sabinianorum & Proculianorum sententias ita dividerent, ut prout æquitas suadere videbatur, utrasque partim probarent, partim rejicerent.

Præcipui post Hadrianum Jurisconsulti.

Excellentium Jurisconsultorum per hæc tempora ingens copia fuit. Celebrantur præ cæteris, sub ipso Antoni-



no, Sextus Cæcilius *Africanus* : Sub Marco Aurelio Antonino Philoſopho, & Lucio vero fratribus, *Caius* & *Papirius Juſtus* : Sub eodem Marco & Commodo *Pomponius* & *Marcellus*: Sub Commodo *Cervidius Scævola*, & *Florentinus* : Sub Severo *Tertyllianus*: Sub eodem & Caracalla *Calliſtratus*, & *Papinianus*: Sub Caracalla quoque Licinius *Rufinus*, *Thryphoninus*, Jul. *Paulus* atque *Ulpianus* : Sub Alexandro Severo, *Marcianus* & Æmilius *Macer* : Sub Gordiano *Modeſtinus* circa annum Domini 240. Qui deinde ſequuti ſunt, publicè in tribus Imperii civitatibus ad hoc deſignatis, Romæ nimirùm, Conſtantinopoli; & Beryti docendi munere contenti, vix quicquam ad illuſtrandum Jus Civile contulerunt. Memorantur tamen ſub Conſtantino ejuſque filiis *Hermogenianus* & Arcadius *Chariſius*.

Eorum autoritas.

Cùm itaque ante Auguſtum non aliter pro Jure valerent Prudentum reſponſa, quàm ſi uſu fori paulatim recepta fuiſſent: certum autoritatis robur eis additum eſt, poſtquàm Auguſtus conſtituit ut ex autoritate ejus ſelecti homines reſponderent; quod J...

Sabino concessum esse à Tiberio Cæsare testatur Pomponius sub finem L. 2. sæpius nominatæ, de Orig. Jur. nec vivis tantùm hæc data facultas, sed & mortuorum scriptis tandem vim & jus lectionis Principes tribuerunt; id est, eam autoritatem, ut eorum sententiæ in judiciis pro certo jure & quasi lege adduci possent: ut patet ex Theodosii Junioris ac Valentiniani 3[i]. epistola ad Senatum, ex quâ desumpta est Lex unica Cod. Theodos. de Respons. Prudent. cujus tenorem, ut melius percipiatur ejus rei usus, hic inserere visum est. *Papiniani, Pauli, Caii, Ulpiani, atque Modestini scripta universa firmamus. Ità ut Caium, atque Paulum, Ulpianum & cæteros, comitetur autoritas lectionis, quæ ex omni opere recitatur. Eorum quoque scientiam, quorum tractatus atque sententias prædicti omnes suis operibus miscuerunt, ratam esse censemus, ut Scævolæ, Sabini, Juliani, atque Marcelli, omniumque, quos illi celebrarunt: Si tamen eorum libri, propter antiquitatis incertum, Codicum collatione firmentur. Ubi autem diversæ sententiæ proferuntur, potiùs numerus vincat Autorum: vel, si numerus æqua-*

lis sit, ejus partis pracedat autoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat; qui, ut singulos vincit, ità cedit duobus. Notas etiam Pauli, atque Ulpiani in Papiniani corpus factas, sicut dudum statutum est, pracipimus infirmari. Ubi autem pares eorum sententia recitantur, quorum par censetur autoritas, quod sequi debeat, eligat moderatio judicantis. Pauli quoque sententias semper valere pracipimus &c. Dat. VII. *id. Novembris Ravenna D D. N N. Theod.* XII. *& Valentiniano* II. *A A. Coss.*

Eorum res à quibus conscriptæ.

Horum veterum Jurisprudentium vitas plures scripsere, Bernardinus imprimis Rutilius & Fichardus superiori sæculo: hoc verò nostro Joannes Bertrandus Præses Tolosanus duobus libris Biinomikôn, sive de Jurisperitis; & Guido Pancirolus, priori parte librorum de claris Legum interpretibus. Quibus non pauca licebit adjicere ex erudito *Amœnitatum Juris* opere, quod nuper in lucem edidit V. Cl. deque omni literarum genere, & vulgaribus etiam linguis optimè meritus, Ægidius Menagius, à quo accuratissimum, ejusque exquisitâ eruditione dignum Commentarium in Titulum de *Origine Juris*

IV. Constitutiones Imperatorum. I. Varia earum genera.

Sed quoniam imperii vis omnis temporibus illis penes Principes erat, præcipua Juriſprudentiæ pars ſub hoc tertio ſtatu poſita erat in eorum *Conſtitutionibus*, quæ plurium generum fuere. Aliquando enim Imperator ipſe, in ſacro Conſiſtorio inter partes cognoſcebat; unde manarunt *Decreta* & Cognitiones: ſæpe ad Conſultationes Magiſtratuum, aut ad Libellos privatorum reſcribebat; unde *Reſcripta* ſeu *Epiſtolæ*; itemque breviores *Annotationes* ac *Subſcriptiones*: aliàs miſsâ ad Senatum oratione, aut ſub Edicti, vel generalis Legis vocabulo, aut adjecto per Programmata publicè vulgandi juſſu, Jus in univerſum conſtituebat; unde *Edicta* & propriè dictæ *Conſtitutiones*, quæ naturâ ſuâ Legum vim obtinent: cùm Reſcripta & Decreta non aliter ſimilium cauſarum fata componant, nec generaliter pro Legibus ſerventur, quam ſi eam eſſe Princeps voluntatem ſuam palàm declaret; aut, ſi Codici Legum, ipſius juſſu, inſerantur. Quandoque adhibito tractatu & conſilio, ad preces præſertim civitatum, provinciarum, vel cujuſcunque univerſitatis aut corporis, fuſiùs reſpondebat; ex

quo *Pragmatica Sanctiones* : denique nonnunquàm dissentientium Jurisconsultorum sententias definiebat, unde natæ sunt *Decisiones*. *Mandata* verò Principum, non Jus generale continebant, sed Officium Magistratuum quibus dabantur.

2. Ea in tres Codices collata. Per hæc tempora Imperatoriarum Constitutionum tres Codices in lucem prodiere, Gregorianus, Hermogenianus, & Theodosianus: quibus in Codicibus diversorum Principum, ab Hadriano usque, Constitutiones collectæ, ac per titulos digestæ fuerunt. Priores duo privatâ Autoritate compositi, deque compilatorum nomine appellati, Leges complectebantur Ethnicorum Cæsarum, qui ante Constantinum imperaverant; Gregorianus eorum, qui ab Hadriano ad Diocletiani primordia rem Romanam rexerant; Hermogenianus, Diocletiani præsertim & Maximiani Constitutiones; ut Cujacius censebat: nam Jacobus Gothofredus utrumque eadem omnino tempora sequuntur conjicit. At Theodosianus à Theodosio Juniore nomen accepit, cujus jussu ab octo viris ad id delectis anno Christi 438. est conscriptus. Hic

ſedecim libris, ad ordinem ferè Edicti perpetui, quem ſequutus in ſuo codice fuerat Gregorius, digeſtis; Edicta & Reſcripta per Chriſtianos Principes ab initio Conſtantini, tum de Prophanis & Civilibus, tum de Eccleſiaſticis rebus promulgata continebat. His additæ denique ſequentium Auguſtorum novæ Conſtitutiones, Novellæ idcircò nuncupatæ, quod noviſſimè poſt Codicem Theodoſianum emanaſſent.


Juris Romani ſub imperatoribus Juſtiniano vetuſtioribus, certum in ordinem redacti, reliquias plures viri docti, quoad licuit, hactenus, accuratè collegerunt. In *Edicto* quidem *Perpetuo* ex Digeſtorum Juſtiniani libris, fragmentiſque veterum Juriſconſultorum ibidem comprehenſis, eruendo & concinnando, egregiè verſatus fuerat Guil. Ranchinus ſub finem ſuperioris ſæculi. Illud, conjecturâ ex ordine Commentariorum, in Edictum ab Ulpiano, cæteriſque prudentibus editorum, ductâ, ad nativum ſuum ordinem revocare ante aliquot annos conatus eſt idem Jacobus Gothofredus Dionyſii filius: cujus nuper in lucem prodiere ampli atq;

3. Horum Jurum reliquiæ à quibus præſertim collectæ.

eruditi inCod. Theodosianum Commentarii operâ A. Marvillii Ant. valēt.

14 Qualis ad nos pervenerit Codex Theodosianus

Hic tamen Codex ad nos integer non pervênit. Ejus breviarium & excerpta ad usum populorum, qui Visigothis parebant, Goiaricus Comes Alarici Regis jussu concinnaverat, additis interpretationibus: qui liber Aniano vulgo adscribitur, quem tamen Referendarii & subscriptoris dumtaxat partibus functum probabilius est. Eo autem volumine, cui fragmenta quædam priorum Codicum Gregoriani & Hermogeniani; itemque Institutionum Caii; Regularum Ulpiani, & Sententiarum Pauli adjecta erant, usi diù Galli, atque Hispani sub nomine Codicis Theodosiani, aut Legis Romanæ. Atque hunc Codicem sic decurtatum primus edidit Basileæ Jo. Sichardus anno Christi 1528. Joannes deinde Tilius Parisiis posteriores octo libros integros (ultimo excepto, qui adhuc mutilus) vulgavit anno 1549. Cujacius sextum ferè totum, septimum, atque octavum integros accepit à Stephano Charpino, & operi una cum ultimi supplemento adjecit anno 1566.



DE JURE PER JUSTINIANUM IN ORDINEM REDACTO.

CAPUT II.

SEQUITUR Secundum tempus, quo Romana Jurisprudentia certam à Justiniano formam plenissimè accepit: Id, intra septennium perfectum est, operibus quatuor, quorum tria dumtaxat ad nos pervenerunt, præter adjectas subinde Constitutiones singulares, quæ postea collectæ, volumen quartum formarunt. In suis conficiendis operibus usus est Imperator operâ delegatorum ab se, tum Magistratuum, tum Antecessorum, atque Advocatorum: His veró delegatis præerat Tribonianus. Absolutum porro est hoc Justitiæ Romanæ Templum (uti ab ipso autore vocatur) post 1280. annos, quibus Res Romana steterat. Sed pro eo numero rotundiorem 1300. subjecit Justinianus in Constitu-

SECUNDUM TEMPUS SUB JUSTINIANO.

1. Juris à Justiniano compositi quot sint partes.

tione de Confirmatione Digestorum ad magnum Senatum, sive *l. 3. Cod. de vet. jur. enucl.*: unde corrigendæ sunt Constitutiones aliæ, sive Epistolæ ejusdem Principis, in quibus pro trecentis, quadringenti anni corruptè hodiè leguntur. Hujus Compositionis hic fuit ordo.

I. CODEX PRIOR

Primùm quidem Decio Consule, id est; anno Domini 529., quem Justinianus Imperii sui tertium numerabat, idibus Aprilis prodiit *Codex Prior*, tam ex tribus prioribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano ac Theodosiano, quàm ex Novellis sequentium Imperatorum, ipsiusque Justiniani aliquot Constitutionibus compositus.

II. INSTITUTIONES.

Tum anno Christi 533. Imperii septimo, Consulatu Justiniani 3. editæ sunt, XI. Kal. Dec. id est 21. Novembris, *Institutiones*, sive Elemẽtorum ac principiorum Juris, Libri 4., in titulos 99. & Paragraphos (si titulorum initia computes) 816. distincti. Quod opus in gratiam tironum, exemplo cõplurium Jurisconsultorum, Caii præsertim, Ulpiani, & Florentini, partim etiam ipsorum verbis concinnatum est à Triboniano Magistro & exquæstore sacri Palatii & Excõsule, simulque à Theophilo Constantinopo-

litano, ac Dorotheo Berytensi Antecessoribus, qui viri Illustres nominantur, honoratissimo, nec nisi primæ dignationis Magistratibus concesso, titulo.

III. DIGESTA.

1. Quo tempore edita.

Eodem anno, XVII. Kal. Januarias, sive die 16. mensis Decembris, promulgatum est Pandectarum seu Digestorum difficile opus, universa veteris prudentiæ monumenta in unam consonantiam, ut loquitur Justinianus, redacta atque in ordinem digesta complectens.

2. Eorum nomina & Etymologia.

Hinc operi nomen duplex, Latinum quidem Digestorum; Græcum autem Πανδεκτῶν; utrumque à priscis Jurisprudentibus usurpatum. *Digestorum* autem nomen ex eo inditum fuit, quòd in his libris veterum Jurisprudentium sententiæ sub suos titulos certo ordine Digestæ sint, juxta seriem nimirùm Edicti Perpetui, quoad fieri potuit. *Pandectæ* verò inde dicuntur, quòd universum Jus antiquum complectantur: Est enim Græcè πᾶν, omne, sive totum; & δέχομαι, capio.

3. Unde collecta.

Decerptum itaque fuit opus Digestorum ex veterum Jurisconsultorum, tum Responsis, tum notis ad Leges aliasque Juris Romani partes, ac præsertim ad Edictum Perpetuum;

tum etiam ex tractatibus, librisque Methodicis, & reliquis Commentariis eorumdem: quæ Jurisprudentum opera ad duo penè millia voluminum, versuum autem tricies centena millia excurrebat, seu, quod idem est, trecentas myriadas.

4. Ubi Catalogus Autorum ex quibus ea deprompta.

Syllabus veterum Jurisprudentum, ex quorum scriptis compositi sunt Digestorum libri, præfixus extat Pandectis Florentinis: ubi Autores leguntur numero 37. in quibus ii eminent, quorum nomina jam ante retulimus. Reliqui ab iisdem in operibus suis nominari ac laudari meruerant, aut etiam Commentariis, notisve illustrari. Eorum ibi recensentur Libri tantùm mille quingenti sexaginta & unus.

5. Index Legum, ad seriem operum Autoris cujusque accommodatus.

Legum ex unoquoque libro decerptarum, Indicem, ad suos quamque Autores, suaque tempora revocantem debemus industriæ Jacobi Labitti: qui & duorum Jurisprudentium, in Florentino indice prætermissorum nomina, cum brevi singulorum Jurisconsultorum veterum vita, seu elogio; & ex nonnullis eorum operibus, quæ Catalogo Florentino deerant, Leges aliquas adjecit. Indicem non absimilem

concinnavit posteà Antonius Augustinus lib. *de nominibus propriis τοῦ πανδέκτου Florentini.* Horum Indicum mirum in omni Legum studio usum unusquisque deprehendere poterit: & quæ quantaque ex his commoda sequantur, latè disseruit ipse Labittus: quod & recitationibus suis ad eum ordinem digestis, confirmavit præ cæteris eruditissimus Cujacius.

Digestorum operi componendo, præter illos tres, quos exarandis Institutionibus incubuisse diximus, præfecti sunt à Justiniano ex ordine Illustrium Constantinus Comes sacrarum largitionum, & Magister Scrinii libellorum, sacrarumque cognitionum; Anatolius apud Berytenses, & Cratinus apud Constantinopolin Juris Interpretes, hic etiam Comes Sacrarum largitionum; unà cum undecim causarum patronis in Præfectura Prætorii Orientis, ut ex Constitutionibus de Confirmatione Digestorum §. 9. discimus. 6. Quorum opera confecta fuerint Digesta

Hujus operis, quod in septem Partes divisum, libris 50. titulis 430. constat, versuum autem millibus 150. triplex hodie habetur Editio, nempe *Vulgaris* minùs correcta, quâ usus Accursius & 7. Eorum divisio per Partes & Volumina

cæteri Glossatores; *Norica* seu Noribergensis, quam Gregorius Haloander anno 1531. curavit; & Florentina sive Pisana anno 1553. Typis mandata Francisci Taurelli operâ ex Medicæa Bibliotheca. Illius operis vulgata partitio, Bulgari atque Azonis temporibus orta, in Digestum *Vetus*, *Infortiatum*, & *Novum*, non aliâ ratione niti videtur, quàm molis ipsius, quæ adjunctis Glossis uno volumine comprehendi non posset, commodiùs dividendæ. Harum certè appellationum causas edere difficile, in opere quod totum eodem tempore natum esse constat. Atque, ut Tomi primus & postremus, *Digesti Veteris* & *Novi* nomen ex ipsa operis serie sortiri aliquatenus potuerint, eo quòd vetera tempore præcedant, nova autem subsequantur: quo pertinet *Infortiati* vocabulum medio volumini inditum? nisi fortè eorum sententiam admittere velimus, qui apud Accursiū ex eo Infortiati nomen deducunt, quòd *Fortes* Leges contineat, id est difficiliores, quales materia præsertim testamētaria complectitur. Nam, quòd alii, eodem teste, derivant ab *Infortias* Chaldæo, ut volunt, vocabulo,

dispositionem significante, eò quòd ibi de ultimis dispositionibus agatur; vereor ut ejus linguæ peritis probetur. Tolerabilior fortè Alciati conjectura ex Græca Origine trahentis; à nomine scilicet φορτίον, quâ dictione significari ait, merces omnes quæ importantur victûs causa. Quapropter Græci, penes quos libri Juris fuerant, cùm hunc tomum Latinis tradebãt,(ubi de Dotibus, Tutelis ac Testamentis differitur, quæ sunt de pane lucrando, ut vulgò loquuntur), dicerent se eis dare τὰ φορτία. Sed & onera quælibet ac sarcinas, & quicquid grave est, hac voce Græci exprimunt; & Φορτικά appellant molesta, ac tædii plena. Unde ἀναφορτίζω, onus grave in humeros tollo: ex quo adjectivum ἀναφορτικὸν pro eo quòd ægrè tollitur ac portatur, & superlativum ἀναφορτικώτατον formari potuit, atq; hinc *Infortiatum* à Latinis facile detorqueri.

Sequenti anno, salutis nimirùm 534. Imperii 8. Justinianus, cum in Digestorum opere concinnando animadversum esset multas esse in Jurisprudentum scriptis controversias, nondum imperiali autoritate decisas, aliaque nonnulla in priori Codice desiderari; eum primâ

IV. CODEX POSTERIOR. 1. Cur compositus.

abrogatâ editione, secundis curis retractatum, & 50. Decisionibus auctum denuò vulgavit.

2. Ejus divisio. Atque hic novus *Codex, repetitæ Prælectionis* ex eo dictus, is est quo nunc utimur, in duodecim libros divisus, qui titulis 776. distinguuntur, ordinis ratione à serie Digestorum non admodùm diversâ.

3. Nominis ratio. Codicis nomen generaliter librum significat, à caudicibus arborum deducto vocabulo. Sed Jurisconsulti Codicem per antonomasiam appellarunt librum Legum ab Imperatoribus conditarum.

4. De Indice Imperatorum & Legum ab unoquoque editarum. Nomina Imperatorum numero 54. ab Hadriano ad ipsum Justinianum, qui vel singuli, vel plures simul, Autores fuere Constitutionum in libros Codicis collatarum, præfixa reperies Codici per Dionysium Gothofredum edito, unà cum Notarum interpretatione, quæ in earum tum inscriptionibus, tum temporis quo editæ sunt, subnotationibus, occurrunt. Indicem Legum ab unoquoque editarum confecere antedicti Labittus & Augustinus.

5. Per quos emédatum hoc opus. Huic operi adhibiti sunt quinque viri

viri ex eorum numero qui Digestis componendis operam dederant; quorum duo ex Illustribus fuere, Tribonianus Magister officiorum, Dorotheus Berytensis Doctor, & tunc Quæstor Sacri Palatii (nos Cancellarium diceremus): reliqui tres togati fuere sedis Præfectoriæ.

Quanquàm autem triplici Institutionum, Digestorum, & Codicis volumine, Juris studio plenissimè consultum videretur: his tamen subinde, pro variis rerum argumentis, adjectæ sunt à Justiniano, sequentibus Imperii annis, novæ Constitutiones Græcâ linguâ conceptæ, Latinis *Novellæ* dictæ, Græcis Νεαραὶ. V. NOVELLÆ. 1. Ratio nominis.

Harum sex & nonaginta duntaxat, Glossatoribus cognitæ fuerant; etsi Julianus Antecessor Constantinopolitanus, pauló post Justinianum, Latinâ linguâ Epitomen 125. Novellarum per capita conscripserat: Haloander quinque & sexaginta supra centum edidit; quibus tres addidit Cujacius; ut sint omnino Novellæ numero 168., quarum quæ tempore, omnium, ni fallor, postrema est, nimirùm Novella 141. cadit in annum Justiniani 32. qui post 2. Numerus.

Consulatum Basilii est decimus octavus initus, Christi 558.

3. Collectionis ordo.

Hæ Novellæ, cum Edictis tredecim, in unum posteà corpus, non ipsius Justiniani jussu, sed privati cujuspiam industriâ, collectæ sunt, ut ostendunt Cujacius & Antonius Augustinus. Digestæ veró sunt, servatâ ut plurimùm temporum serie.

4. Cur Authenticum dictum earum volumen.

Totum opus, ab Interpretibus in novem Collationes divisum, quæ librorum instar plurimos singulæ Titulos comprehendunt; dictum est *Authenticum*, sive quòd hæ Constitutiones, ut pote Codicis Legibus posteriores, præcipuam obtinerent Autoritatem (id enim sonat Græcè αὐθεντία): sive quòd integræ Novellæ pro autographis habitæ sint, comparatione Latinæ illius Epitomes à Juliano compositæ.

5. Earum Interpretationes Latinæ.

Earum Latinæ Interpretationnes extant tres; vetus, cujus Autor Bulgarus putatur, refragante tamen Cujacio lib. 8. observationum cap. ult. Altera Haloandri suprà memorati: Tertia Henrici Agylæi.

6. Quid Authenticæ.

Summæ ipsarum, non exiguo studiosorum commodo, Legibus Codicis,

quæ ſimilis argumenti videbantur, per Wernerum ſive Irnerium antiquiſſimum Gloſſatorem, *Authenticarum* nomine, ſubjectæ, noviſſimum Jus à Juſtiniano conſtitutum ſuis locis indicant: ſed cautè cum fontibus ſuis conferendæ, à quibus nonnunquàm aliquatenus recedunt.

Tria porro ſunt, quibus præſertim differt à Codice volumen Novellarum: I. Quòd Codex complectatur plurium imperatorum Conſtitutiones; Novellæ ſint unius Juſtiniani. II. Quòd Leges Codicis Latinâ ferè linguâ, Novellæ Græco ſermone ſcriptæ ſint. III. Quòd in Codice Conſtitutiones in certas Claſſes ac Titulos, pro rerum varietate, ac plures ſub uno Titulo diſpoſitæ ſint: in Novellarum autem volumine unaquæque Conſtitutio ſuum habeat Titulum; eæque ſervato magis temporis, quo unaquæque edita eſt, quàm rerum, ordine digeſtæ ſint. 7. Inter Codices & Novellas quæ ſint differentiæ.

Juris ſtudium Quinquennio definivit Juſtinianus: quod non ſervari ſuo tempore præſtantiſſimus Cujacius queritur, eo tempore ad Triennium redacto. Nunc, quod Cicero, jam in legitima ſcientia verſatus, ſed eloquentiam fo- 8. Tempus & loca ſtudii.

rensem umbratili Jurisprudentiæ anteponens, velut per jocum in orat. pro Muræna minabatur, triduo se Jurisconsultum esse professurum; id hodie magno publico malo apud nos fit. Adolescentum pars major, quod in epistola ad eximium Ludovicum Nublæũ Amænitatibus Juris præfixa, nimium verè deplorat Menagius jam laudatus, vix triduum, non Juris studio, sed Jurisconsulti assequendo titulo impendunt. At Justinianus non modò certum tẽpus quod dixi, studio Juris præfixerat: sed ejus professionem paucis locis ac selectis hominibus committi voluerat, quam sibi passim nunc omnes & ubique assumunt. In universo Imperio Romano tres omninò Civitates erant in quibus Antecessores Jus Civile publicè profitebantur, Roma, Constantinopolis, & Berytus in Phænicia, quam in Metropolin erexere Theodosius Junior & Valentinianus 3. Horum lege duo tantùm erant qui Leges in Capitolio docebant, ac totidem Constantinopoli. Auctum posteà hunc numerum constat, ni fallor, ex inscriptione Constitutionis à Justin. ad Antecessores emissæ, ubi novem numerantur Constantinopoli-

tani aut Berytenſes Legum Doctores; cum Roma Gothis adhuc pareret: quæ cauſa fuit cur in Conſtitutione ad magnum Senatum, (quo nomine Conſtantinopolitanum,) intelligit trium tantùm Præfectorum Prætorio meminerit, Orientis nempe, Illyrici, & Africæ; nulla Præfecti Prætorio Italiæ, non magis quàm Præfecti Prætorio Galliarum, factâ mentione. Itaque extra urbes Regias, & Berytum tradi Civilem ſapientiam vetuit; ac nec apud Alexandriam Ægypti, aut apud Cæſaream Palæſtinæ primarias civitates doceri permiſit, in quibus eo tempore quidam imperiti homines divagabantur, & doctrinam diſcipulis, uti nunc paſſim & impunè fit, adulterinam tradebant.



DE JURE ORIENTALI POST JUSTINIANUM.

CAPUT III.

POST Justinianum complures Juris mutationes contigerunt, tam apud Græcos, quàm apud Latinos. Apud Græcos quidem, tum per novas Imperatorum Constitutiones à Justino Juniore & sequentibus usque ad Michaëlem Palæologum, id est, ab anno Christi 566. ad 1260. conditas diversis temporibus ac promulgatas: tum per novas priorum Legum, partim abbreviatarum, partim expansarum Collectiones; aut Legum, quæ de rebus Ecclesiasticis latæ fuerant, cum Canonibus Collationes.

I. ORIENTALE JUS POST JUSTINIANUM.

Prioris generis opera; alia πρόχειρα Promptuaria; Εγχειρίδια Manualia; alia Εκλογαὶ, Delectus, sive selectorum collectio; vel Συνόψεις, & Επιτομαὶ,

Compendia, dicta sunt: Posterius genus Βασιλικῶν ferè titulo est decoratum, id est, Imperialium. De quibus omnibus post præstantissimum Jurisconsultum pluribus locis, Marquardum Freherum in Chronologia Juris, aliosque; disseruit si non distinctiùs, certè pleniùs cæteris Ill. Josephus Maria Suaresius Episcopus Vasionensis in in notitia Basilicôn ad Urbanum VIII. Pontificem Maximum, ex fide plurimorum Codicum Manuscriptorum, è Palatina Bibliotheca in Vaticanam dono Serenissimi Bavariæ Electoris Maximiliani, magnam partem translatorũ.

Constitutiones Imperatoriæ, Βασιλικαὶ Διατάξεις in Classes duas dividi possunt; eas scilicet quæ Basilicis priores, & eas quæ sequutæ deinde sunt. Illæ in ordinem quemdam digestæ videntur fuisse per Basilium præsertim Macedonem, qui primus refingendo apud Græcos Juri manum admovit: Posteriores Novellarum nomine primùm dispersæ, tandem servatâ, saltem ut plurimùm, temporum serie collectæ sunt. Imperatores, à quibus editæ fuere Constitutiones priores, numerantur decem, Justinus nempe Junior, Tiberius item

II. CONSTITUTIONES IMPERATORUM.

Junior, Heraclius, Constantinus V. Pogonatus, Leo tertius Iconomachus, Leo V. Armenus, Theophilus, Basilius Macedo cum filiis. Autores sequentium Novellarum sunt numero circiter septemdecim, nimirùm Constantinus VIII. Porphyrogenitus, Romanus Lecapenus qui & Senior, Romanus Porphyrogenitus sive Junior, Nicephorus II. Phocas, Basilius Junior, Romanus IV. Argyropulus, Zoë Imperatrix, Isaacius Comnenus, Michaël VII. Ducas, Nicephorus Botaniates, Alexius Comnenus, Joannes Comnenus vulgò Calo-Joannes, Emanuël Comnenus, Alexius tertius Comnenus, Isaacius Angelus, Joannes tertius Ducas, qui Niceæ atque in Asia Minori regnavit, Constantinopolin obtinentibus Francis; & Michaël Palæologus, qui ejectis Latinis Constantinopolin recuperavit. Hæ autem Novellæ non ab uno aliquo è tenebris erutæ, aut editæ, & latinitate donatæ sunt; sed per partes variis Editionibus atque temporibus publici Juris factæ, ab Enimundo scilicet Bonefidio, Joanne Leunclavio, & Carolo Labbæo: habentur maxima

partem tam Latinè quàm Græcè apud Leunclavium: in corpore autē Juris per Dionysium Gothofredum edito ex interpretatione partim Henrici Agylæi, partim Bonefidii antè nominati. Inter Novellas tum Justiniani, tum posteriorum Imperatorum Orientis, fuere ἐπαρχικὰ sive τύποι, quibus describebantur quæ ad ædificandi modum, aliaque ejus generis in provinciis spectabant: fuere & Ρομαικὰ Magistri, de quibus Cujacius lib. 6. observat c. 10.

Plures cæteris Constitutiones condidit Leo VI., cui ex Juris, historiæ, aliarumque bonarum artium studio ac peritiâ, Sapienti sive Philosopho cognomen fuit, fortè M. Aurelii Antonini imitatione. Sunt ejus Novellæ numero 113. circa annum à partu Virginis 890. emissæ. Eas interpretatus est Latinè idem Agylæus; sed pleræque, quibus Leo plurima Juris à Justiniano compositi capita ex æmulatione quadam corrigere tentavit, ne apud Græcos quidem, etiam ipsius Leonis tempore valuerunt: iis tantùm usu receptis in foro Constantinopolitano, quæ novum quid constituebant de rebus prætermissis à prioribus Legislato-

I. Leonis Novellæ.

ribus, cujusmodi sunt Novellæ 29. 48. 57. 71. 68. 86. 100. 102. 103. & 104. uti discimus ex Græcis Interpretibus & Pragmatica Michaëlis Attaliatæ apud Cujacium lib. 17. observat cap. 31. & ex Psello in Epitome Juris, ac Balsamone ad Nomocanonem Photii.

2. *Alia ejusdem opuscula.* Omitto alia Leonis opera, veluti libros τακτικῶν de apparatu & disciplina bellica, qui versi sunt Latinè & Italicè: librum de Aucupio: Oracula & Vaticinia varia de Roma & Constantinopoli, quæ in Bibliotheca Palatina extabant: & opuscula Theologica atque Historica, quæ recensentur in Bibliotheca Constantinopolitana: sed hæc non sunt hujus loci. De Basilicis, & Prochiro ejusdem, mox dicam, ut & de reliquis posterioris Græci Juris partibus; in quibus, ad clariorem rerum intellectum seriem temporum sequendam putavi.

III. PROCHIRON BASILII. Interpolari cœpit, ni fallor, Jus Justinianæum circa an. Christi 870. à Basilio Macedone, qui cum filiis suis Leone & Constantino atque Alexandro Πρόχειρον νομικὸν, jussit concinnari. Id Titulis quadraginta, ex singulis Juris voluminibus compendiariâ ratio-

ne collectum fuiſſe teſtatur Harmenopulus in Præfatione ſua. Non igitur Titulos 60. continebat, ut putavit Cujacius. Extat inter Codices manu exaratos Bibliothecæ, olim Palatinæ, nunc Vaticanæ, modò ſub Baſilii Leonis & Conſtantini; modò ſub horum duorum; modò ſub Leonis ſolius nomine, & cum diverſis Præfationibus. Unde conjicere eſt à Leone Philoſopho retractatum fuiſſe hoc patris Baſilii opus.

IV. BASILICA PRIORA.

Præter hoc Prochiron & Novellas, de quibus anteà dictum, edidit Leo Juris Epitomas, opus ſatis elegans, quod meris definitionibus & regulis conſtabat, eratque in Palatina Bibliotheca: imprimis verò ingens Baſilicorum opus fabricatus eſt circa annum 886. in 60. libros diviſum: ideoque vulgò Ἑξηκοντάβιβλον nuncupatum, cujus ſunt τεύχη, ſive volumina ſex: ἀνακάθαρσιν quoque vocarunt; quaſi dicas correctionem Legum ſive expurgationem. Cedrenus à Baſilio Leonis Patre inchoatum id opus fuiſſe affirmat: ab hoc operâ Sabbatii Protoſphatarii promulgatum tradit Antonius Auguſtinus poſt Matthæum Blaſtarem. Eo in opere li-

bri omnes Juris à Justiniano compositi, servato ferè Legum ordine, ac resectis quæ supervacanea videbantur, correctisque iis, quæ ab posteriorum temporum usu abhorrebant, atque adjectis posteriorum Legibus, ita in unam consonantiam, Græcâ linguâ, redacti sunt; ut quæ de unaquaque re per Institutionum, Pandectarum, Codicis, & Novellarum libros à Justiniano sparsa fuerant; ea in unam & eamdem sedem sint collata. Quamquàm non modò diversam à Triboniani invento materiarum dispositionem; sed & pleraque de priorum Principum, suisque Novellis Leonem mutasse Freherus observat.

V. BASILICA POSTERIORA.

Verùm Constantinus octavus Leonis filius, cognomento Porphyrogeneta, hæc *Basilica* sub incudem revocavit, & ἀνακάθαρσιν novam, sive ejus operis repetitam prælectionem in lucem emisit sub annum 920. ut reformato Legum corpore de Jurisprudentia benè mereretur; non minùs quàm de historia, opere alio, quo in unum corpus trium & quinquaginta locorum communium, historicos omnes colligi jussit. Ex hac Basilicorum

rum editione factum est, ut hunc Constantinum operis primum Autorem G. Hervetus post Luitprandum fuisse censuerit. Atque hi sunt veri Βασιλικῶν libri: ad quos ipse Constantinus Prochiron, sive Introductionem componi curavit: nisi potiùs Prochira, quæ Basilius avus ipsius, & pater Leo composuerant, retractavit. Hinc illius quoque nomen tot Prochirorum diversis exemplaribus manu exaratis inscriptum reperitur: cujusmodi breviaria à studiosis & causidicis Orientalibus variè interpolata, & pro libito concisa, ac præpostere descripta, videre est, ad decerpentis nempe cujusque usum accommodata atque inter se admodùm dissimilia.

1. Prochiron alterum Imperatorium.

Basilicorum hanc secundam editionem subsecuta est Interpretum Græcorum, qui in eam Commentarios & Glossas scriberent, turba non minor quàm posteà Latinorum, in quibus recensentur à Cujacio Stephanus, Nicæus, Thalelæus, Isidorus, Eustathius, Eudoxius, Calocyrus, Sextus, Callistratus, Leo, Phocas, Modestinus, Domninus, Gobidas, Chumnus, Joannes, Hagiotheodoretus, Doxapater, Gre-

2. Interpretes Græci Basilicorum.

gorius, Garidas, Bestes, Baphius & Theophilus: addit Freherus Patzum, Theophilitzen, Phobenum, Theodorum Hermopoliten, Demetrium, Chartophylacem; qui singuli, quibus annis vixerint liquidò sciri nequit, & enumeratos sufficit. Verùm cùm Thalelæus ævo Justiniani floruerit, (ut patet ex ipsius Just. Constit. ad Antecessores), falsò numerari videtur inter Jurisconsultos qui scripserunt in Basilicas; ut & Stephanus, qui jussu Justiniani Græcis Digestis insudavit; itemque Theodorus & Isidorus, qui duo è numero sunt septemdecimvirorum, qui concinnandis Digestis Latinis præfuerunt: idemque de Theophilo censendum, qui cum Triboniano ac Dorotheo Institutiones composuit: sic etiam Phocas unus extitit è Decemviris, qui Latino Codici operam dederunt. Quod ad Callistratum & Modestinum attinet, nemo nescit eos Justiniano ipso antiquiores fuisse. Unde nisi demonstratum fuerit plures diversis temporibus eodem nomine fuisse Jurisconsultos; non possunt hi Basilicorum Interpretibus accenseri, licet eorum nonnulli in Justiniani vo-

uminibus in Græcam Linguam κατὰ πόδα transfundendis verſati fuerint, veluti Stephanus Pandectarum, Thalelæus Codicis Interpretes antiqui ex Blaſtare, quos ut Dion. Gothofredus putat, ſequuti Cyrillus in Digeſtis, in Codice Theodorus.

Præter ante dictos alii ſunt incerti Baſilicorum Interpretes, Anonymus, Baſilicus, quem Cujacius cenſet contextus ipſius Baſilicorum Interpretem; Enantiophanes, coacervator ſcilicet pugnantium inter ſe, ſive ἀντινομιῶν: cujus collectionis autorem idem Vaſionenſis Epiſcopus ſuſpicatur Photium, ut qui profiteatur in Nomocanone ſe librum ſcripſiſſe περὶ ἐναντιοφανῶν. Latiùs diffuſam paraphraſin, ſive ut vocant τὸ πλάτος νόμων, Cujacius Dorotheo tribuit, ſub Indicis nomine: at Gothofredus diverſos fuiſſe arbitratur, & Indicem quidem religioſum in vertendis Latinis vocibus; Baſilicum largiorem; Baphium Conſtantino Porphyrogenetæ alterum Tribonianum, multaque adjungentem. Illuſtriſſ. autem Epiſcopus Vaſionenſis, quod attinet ad Anonymum, Enantiophanem, & Baſilicum, Cujacii ſententiam probat

3. Incerti Interpretes alii.

Baphium exponit jurisconsultum illum qui Rubricas, seu Titulos explanavit ac Notis illustravit.

4. Varia apud Græcos Juris interpretandi genera.

Sanè cùm Justinianus Latinâ Linguâ Jus Romanum composuisset, & versionem ejus in Græcum sermonem de verbo ad verbum; itemque Paratitla, sive Titulorum breves ἀναπληρώσεις permisisset: è Græcis Jurisconsultis nonnulli fuere, qui tum ejusmodi versioni, quam Justinianus κατὰ πόδας vocat, incumberent: (qualis fuit Interpres Codicis, quem ea de causa κωδικεύτην appellarunt): tum etiam Paratitlorum methodum adhiberent. Sed in hoc duplici genere non conquievit posteriorum industria: quin aliis quoque modis, licèt ab Autore vetitis, in eo explicando Jure variè versati fuerint. Alii amplam Juris quasi comprehensionem instituerunt, quam τὸ πλάτος τῶν νόμων vocarunt, uti jam indicavimus. Alii breves quasdam velut Periochas ad Digestorum Codicisve Titulos adjecerunt. Alii Metaphrasi pauló elegantiore, quàm ea quæ vestigiis verborum inhærebat; aut liberiore Paraphrasi usi sunt. Alii positæ à Justiniano Legis penitus obliti, non jam

ſcholia, ſed pleniſſimos Commentarios conſcripſerunt: quos idcirco uberiores fieri neceſſarium videbatur, quòd non pauca Romani Juris Græcis moribus incognita, ideoque pleniùs eſſent enarranda. Id autem frequentes exigebat digreſſiones ſive προθεωρίας, ut Theophili in Inſtitutiones Paraphraſis oſtendit. Addebant & παραπομπάς, id eſt, ſimilium locorum coacervationes (remiſſiones aut concordantias vulgò nominant), quarum aliæ interlineares, aliæ marginales; illæ ἔσωθεν; hæ ἔξωθεν κείμεναι. Erant & qui παραγραφὰς concinnarent, quibus Legum difficiliorum poſitis hypotheſibus, ſive caſu (ut loquuntur) præmiſſo, ſenſum deinde exponebant. Alii τὰ ἐναντιοφανῆ colligebant, in conciliandis Legum locis, quæ ſibi invicem adverſari videbantur. Sed horum monumentorum maxima pars in principum atque eruditorum virorum bibliothecis latet. Ex his tamen, & iis quæ mox ſequentur, apparet poſteriores Græcos ſummâ diligentiâ excolendo Juri Romano ad extrema uſque Imperii Byzantini tempora incubuiſſe. Veniamus ad ea quæ typis vulgata, hominum manibus teruntur.

IV. NOMOCANON PHOTII &c.

In his est Photii Constantinopolitani Patriarchæ Schismatici *Nomocanon*, qui eodem fermè cum Basilicis tempore circa annum Christi 877. in lucem emissus est, atq; in quatuordecim Titulos divisus. Προκανόνα quoque dixerunt, quòd Canonibus Conciliorum præponi soleret. Extat hoc opus cum scholiis Theodori Balsamonis initio collectionis postremæ Græcorum Canonum. Nomocanonis autem, sive Nomocanoni titulo intelligitur collatio Legum de rebus Ecclesiasticis à Christianis Principibus latarum, cum sacris Ecclesiæ Canonibus, id est, regulis Conciliorum & veterum Patrum: cujus rei usus non à Photio primum cœpit. Anteà enim simile opus, ad Jus enucleatum à Justiniano, composuerat Joannes Antiochenus Patriarcha & ipse Constantinopolitanus, quod in altera parte Bibliothecæ Canonicæ nuper editum est, Græcè & Latinè, operâ Clarissimorum virorum Guil. Voëlli & Henr. Justelli.

V. ECLOGA.

Ecloga Basilicorum, quæ Synopsis etiam à quibusdam dicitur, confecta fuerat secundum ordinem litterarum & elementorum: ideoque Μικρὸν κα

στιχεῖον (id eſt manuale minus juxta ordinem alphabeti) appellabatur. Autorem quidam apud Cujacium lib. obſervat 6. cap. 10. vaticinantur Romanum juniorem Conſtantini Porphyrogeniti filium, Romani Lacapeni nepotem, qui circa annum 962. imperium iniit. Eam Tarenti in extrema Italia à Joanne Sambuco Pannone inventam, edidit & Latinè vertit Joannes Leunclavius Baſileæ anno Domini 1575. additis etiam annotationibus: ſed non eodem ordine, quo dicitur compoſita fuiſſe, juxta ſeriem nempe litterarum alphabeti; verùm aptatam ad ipſorum Baſilicorum ordinem. Extat in ſecunda parte Juris Græco-Romani. At Epigraphe hujus compendiarii Legum delectus Leonem & Conſtantinum Autores præfert. In præfatione autem narratur, quorum operâ conſcriptum hoc opus fuerit. Fieri poteſt, ut à Leone & Conſtantino fratribus, ſervato alphabeti ordine edita ſit: non quidem eo tempore, quod apud Leunclavium exprimitur, nempe menſe Martio indictione nona anno ab orbe condito 6347. qui reſpondet anno Chriſtiano 839. Eo enim tempore ne Baſilius quidem Mace-

do, horum Imperatorum parens, Imperium fuerat auſpicatus: ſed fortè poſt annos circiter viginti, cum Baſilius filiorum ſuorum nomen ejuſmodi operibus adſcribebat. Επαναγωγὴν autem, ſive reductionem ad ſeriem Baſilicorum ſuo poſteà tempore Romanus junior conficere, aut imperare potuit.


VI. SYNOPSIS. Michaël Attaliates, ſive Attaliota Proconſul & Judex diverſam à priori *Synopſin* juſſu Michaëlis Ducæ Imperatoris eo nomine ſeptimi ſcripſit, quæ ſub Pragmaticæ nomine circumfertur; extatque apud eumdem Leunclavium in Jure Græco-Romano.

Eodem tempore, id eſt, anno Chriſti 1071. Michaël Pſellus, Juris & Philoſophiæ peritiâ illuſtris, *Synopſin* quoque Legum, præter alia multa, ad eundem Imperatorem ſcripſit verſibus politicis.

VII. HARMENOPOLI PROCHIRON. Poſtremo Conſtantini Harmenopuli Nomophylacis, & Judicis Theſſalonicenſis Πρόχειρον, ſive ἐγχειρίδιον, aut Epitome Juris Civilis, circa annum 1150. prodiit, imperante Emanuele Comneno. Is in præfatione teſtatur ſe uſum Prochiro ſeu Promptuario Baſilii Macedonis; ſed pro quadraginta Ti-

tulis, quibus illud continebatur, se, propter ingentem novarum Legum copiam, totidem alios, aut etiam plures Titulos subnexuisse, adjectis ad Leges scholiis. Editum est Græcè Parisiis anno 1540. curâ Theodorici Adamæi Suallembergi: Latinè autem redditum per Joannem Mercerum Professorem Regium, Lugduni anno 1556. prodiit.

His Librum Eustathii Antecessoris περὶ χρονικῶν Διαστημάτων, id est, de temporum intervallis à Cujacio quoque editum; Leges item Militares, Colonarias, sive rusticas, & Nauticas attexuit Leunclavius sæpius laudatus: Paratitla Car. Labbæus.





DE JURE QUO USI SUNT POST JUSTINIANUM OCCIDENTALES POPULI.

CAPUT IV.

IN Occidente usus Italiæ præsertim, & Constitutiones quædam Imperatorum Germaniæ ad Jus Justinianæum nonnulla adjecerunt, quæ corpori Juris Romani adjuncta sunt, licet nihil
1. LIBRI FEUDORUM. habeant cum eo commune.

Consuetudines Feudorum primum inter hæc obtinent locum. Earum duo tantùm libri vulgò recepti fuerunt sub titùlo Collationis decimæ, quasi ad novem Collationes Novellarum addendæ: quibus unum Hotomannus adjicere tentavit; Cujacius tres addidit. Primi Autor creditur Gerardus Niger: Secundi & Tertii Obertus de Horto,

qui ambo Jurisconsulti & Consules Mediolanenses fuere, tempore Friderici Barbarossæ Imperatoris, circa annum 1160. Quartus liber est ex variis & incertis Autoribus. Quintus Imperatorum Germanicorum quasdam Constitutiones ad Feuda pertinentes complectitur.

2. Extravagantes. Imperatorum Germaniæ.

Horum Germanicorum Cæsarum aliæ paucæ Constitutiones additæ sunt, nimirùm Friderici II. de statutis & Consuetudinibus contra libertatem Ecclesiæ editis anno 1223. *Extravagantes* duæ Henrici VII. quas nonnulli undecimam Collationem appellant, in duos Titulos divisam; quorum prior est, quomodò in læsæ Majestatis crimine procedatur: Posterior, qui sint rebelles, Pisis anno 1312. data. His denique accessit liber de Pace Constantiæ inter Fridericum Imperatorem, & filium ejus Henricum ex una parte: & civitates Lombardiæ & Marchiæ &c. ex altera, anno 1180.

3. Codex Legum antiquarum.

Mitto Codicem Legum antiquarum, in quo continentur tum Francorum Lex duplex Salica, & Ripuaria: tum aliorum populorum, qui partim in Galliæ quibusdam Provinciis degebant, ut

Wiſigothi, Burgundiones; partim in Germania, ut Alamanni, Baiuvarii, Saxones, Angli & Warini, ac Friſiones; partim in Italia, ut Longobardi: quæ poſt à Francorum primæ aut ſecundæ ſtirpis Regibus approbatæ, à Friderico Lindembrogio collectæ, & cum veteribus Formulis editæ fuerunt Francofurti anno 1613.

4. CAPITULARIA

His addenda Caroli magni, aliorumque Regum atque Imperatorum Francorum Capitularia, quæ majoris apud nos momenti habenda ſunt, utpote quibus Juris, quo utimur, origo magna ex parte debeatur. Capitularia dicta ſunt, quòd per capitula ſive capita digeſtas complecterentur Regum Conſtitutiones, de rebus ſacris ac profanis editas, conſilio Epiſcoporum & Nobilium. Collecta primùm fuere in ſeptem libros, ab Anſegiſo Abbate Lobienſi & Benedicto Moguntiacenſi Levita. Acceſſere deinde Additiones quatuor, præter Caroli Calvi propria Capitula. Primam eorum editionem P. Pithæo debemus, poſtremam & locupletiſſimam Steph. Baluzio ſæpiùs à nobis laudato.

QUA



QUA RATIONE LAUDARI SOLEANT LEGES, ET LOCA JURIS CIVILIS.

CAPUT V.

QUÆ aliis ſcriptoribus Capita librorum dicuntur, ea Titulorum ſeu Rubricarum nomine à Juriſconſultis appellantur. *Rubrica* nomen ex eo deductum eſt quòd olim Rubricâ ſive terrâ Rubrâ, aut minio notari conſueviſſet materia, quæ in unaquaque libri ſectione tractaretur: hinc illud ſatyrici: 1. Unde *Rubrica* nomen.

Perlege Rubras Majorum Leges.

Tituli autem Digeſtorum & Codicis in Leges diſtinguuntur: Leges, ubi longiores ſunt, in Paragraphos. *Legum* nomine intelliguntur, in libris quidem Pandectarum, Centones ex Juriſprudentum libris deprompti: in libris autem Codicis Conſtitutiones aut Reſcripta Principum. At verò *Inſtitutionum* Tituli non per Leges, ſed per Paragra- 2. Titulorum Juris diviſio.

phos dividuntur.

3. Quid sit Paragraphus. Paragraphi vocabulum lineam significat in longum protensam, quâ margini adscriptâ sectiones sive articuli capitum distinguebantur. Eo nomine apud nos duo indicantur : tum Nota ejus distinctionis, quæ hâc figurâ exprimitur §: tum tota sententia, sive articulus sub una ejusmodi nota comprehensus. Deducitur ea vox à verbo Græco παραγράφω, quod est, *adscribo*, sive, *ad marginem annoto*, & *circumscribo*,

4. Citandi ratio. Admonendi itaque hoc loco tirones videntur, quâ formâ sententiæ sive loca Juris Civilis Justinianæi in schola & foro allegari soleant. Neque enim Jurisconsulti librorum & titulorum, seu capitum numerum indicant : sed prima ferè verba Legum ac Paragraphorum, (quæ sectiones sunt, seu membra vel Titulorum in Institutionibus, vel Legum in Digestis, & Codice) adjectis Rubricis, sive verbis ipsis, quibus conceptus est unusquisque Titulus:ex quo facilè quisque judicare poterit, quàm necessarium sit Jus addiscenti Rubricas memoriâ tenêre.

Advertendum præthereà est Paragra-

phos non ſtatim ab initio Tituli, aut Legis numerari; ſed primam ferè periodum ſeorſim ſpectari, dicique *Principium*, ſeu initium.

Loca itaque Inſtitutionum ſic laudari conſueverunt. *In princ. Inſtit. de autorit. tutor.* vel §. *actionum autem, de actionib. Inſtit.* ſive, quod idem eſt, §. 28. *de action. apud Juſtinianum.* Licèt enim Digeſtorum & Codicis non minùs Autor reverà ſit Juſtinianus: ei tamen ſpecialiùs attribuuntur Inſtitututiones, quòd non mera collectio ſint, & ex alienis centonibus conſarcinatio: ſed mixtum ex veterum ſententiis & ipſius Conſtitutionibus & ratiocinationibus opus. 6. Ex Inſtitutionibus.

Digeſta ſeu Pandectæ hâc formâ citantur. *L. ex facto,* §. *rerum autem, ff. de heredibus inſtituendis, vel, L.* 35. §. 3. *D. de hered. inſtit.* Item *L. hujuſmodi legatum* 84. §. *ult. de legatis* 1. 7. Ex Digeſtis.

Ex Codice verò ſic, *L. ult. in pr. Cod. de petit. hered. L. un. in fine C. de rei uxor. act. L.* 1. §. *ſin autem ſervus* 4. *C. de comm. ſervo manum. L. communium* 9. *in fin. pr. C. de naturalib. liberis.* 8. Ex Codice.

Novellæ denique laudantur, aut 9. Ex Novellis.

more veterum Interpretum, ita: §. *his consequens est*, *authent. de æqualitate dotis & propter nuptias Donationis*, *Col. lat. 7.* aut, quod eodem recidit, sed nunc magis receptum: *Nov. 97. cap. 3.*



NOTÆ

Quibus brevitatis causâ uti solent Jurisconsulti.

CAPUT VI.

1. Necessaria est hæc cognitio.

TIRONIBUS non ingratum me facturum putavi, si præcipuas Notas subjunxero, quibus brevitatis causâ uti vulgò Interpretes solent in citandis maximè Legibus, aliisve Juris locis; (& quas ideò Breviaturas vocant), adjectâ cujusque significatione. Sine harum quippe notitia non facilè ullus ad eorum scripta patet aditus.

2. De Notis & Siglis.

Neque verò huc pertinere videtur quod Justinianus Jus à se compositum per Notas aut Sigla describi vetuit, ut priùs fieri moris erat. Sunt autem *Sigla* singulares, ac ferè initiales lite-

ræ, quibus totum vocabulum designatur, ut cum S. P. Q. R. ſcribimus, pro *Senatus, Populuſque Romanus* : ex qua forma natum apud Hebræos Machabæorũ nomen, quod literas quatuor י. ב. כ. מ. vexillis ſuis inſcriberent: quibus denotabatur hæc ſententia ex cap. 15. Exodi. מי כמוכה באלים יהוה *Mi Chamocha Baelim Jehova*. id eſt, *Quis ſimilis tibi in fortibus Domine ?* Illæ itaque primæ literæ in unam vocem conjunctæ, efficiebant *Machabi*. At verò *Notæ* ſunt certi linearum variè implicatarum ductus, qui non ſolum unicam vocem, ſed plures, ſæpe etiam integram ſententiam ex inſtituto Notariorum ſignificabant, ut Cujac. oſtendit. Obſervat. lib. 12. cap. ult. *Sigla*, ut pluribus nominibus eadem communia erant, ambiguam ſæpe faciebant orationem. *Notas* pauci noverant. Quæ cauſæ fuere prohibendi uſum utriuſque generis. At noſtra hæc literarum compendia, nec contextui adhibentur, & omnibus Juris ſtudioſis cognitu facilia ſunt. Hæc ſic habent.

Ap. Juſtin. apud Juſtinianum, id eſt, in Inſtitutionibus Juſtiniani.

Arg. ar. argumento : deducto nimirum ex tali Lege, vel ex aliquo Paragrapho qui laudatur.

Auth. authentica : id eſt, in ſumma Novellæ alicujus Conſtitutionis, inſerta Codici ſub hoc vel illo titulo.

Cap. capite, verbi gratiâ 1. vel 2. Novellæ 123. &c. aut libri alterius extra corpus Juris.

C. Cod. Codice : in Codice Juſtiniani.

Co. Theod. Codice Theodoſiano : compoſito ſcilicet juſſu Theodoſii Junioris.

col. columnâ : primâ vel ſecundâ paginæ alicujus, quæ ex interprete aliquo laudatur.

coll. collat. collatione : v. g. tertia aut quarta. Collationes autem ſunt quaſi libri Novellarum Juſtiniani.

d. dicto, *aut*, dictâ. v. g. Paragrapho aut lege.

D. Dig. Digeſtis: in libris Digeſtorum Juſtiniani.

e. eod. eodem : ſupple titulo, vel cap.

extrav. extravag. extravagante Conſtitutione alicujus Imperatoris Germanici.

f. fi. finali, finalis, fine: id est, in fine legis, vel lege aut §. finali sive ult.

ff. π, id est, Pandectis, seu Digestis Justiniani.

gl. glossa: id est, notæ ab Accursio collectæ in universum Juris corpus.

h. hìc: id est in titulo, vel lege, quæ materies est interpretationis.

h. t. hoc titulo: idem quod suprà.

j. gl. junctâ glossâ: id est, Accursii notis cum textu legis laudatæ conjunctis.

in Auth. coll. 1. in Authentico, collatione 1: id est in Novellis Justiniani Sectione, vel parte, hac vel illa.

in f. in fine: Legis aut Paragraphi citati.

in pr. in principio, seu initio Tituli aut Legis ante Paragraphum primum.

in f. pr. in fine principii: pauló ante primum Paragraphum.

Inst. Institutionibus: id est in Institutionibus Justiniani Imperatoris.

in sum. in summa: Legi aut Paragrapho citato præfixa.

l. Lege, hac vel illa sub Titulo qui laudatur.

Li., aut *Lib.* Libro 1. 2. &c. Institutionum, sive Digestorum, aut Co-

dicis, vel operis cujusvis.

Nov. Novellâ; 1. aut 2. Justiniani.

Pr. Principium: quod Legis aut Tituli, Paragraphum primum præcedit.

sol. solve, aut solutio: quâ respondetur ad argumentum propositum.

sum. summa; Legis aut Paragraphi, de quo agitur.

t. *tit.* titulo.

℣. ver. ut *℣bum.* verbum.

℣. *℣s.* versu, versiculo: id est, segmento, sive commate Paragraphi longioris.

ult. ultimo, ultima: Paragrapho scilicet, vel lege.

§. Paragrapho: id est, membro sive articulo Legis vel Tituli.





DE AUTORITATE ET UTILITATE JURIS CIVILIS

Ubi & Gallici Juris hodierni Origo perstringitur.

CAPUT VII.

DE Jurisprudentiæ, tum Judiciariæ, tum Professoriæ dignitate, deque præmiis atque honoribus omni ævo utrique delatis apud omnes Gentes quæ aliquid unquam habuere humanitatis, alius erit, ut spero, dicendi locus. Id nunc quidem sufficiet, quòd summi quique & optimi Principes; cùm se civium suorum, non minùs à flagitiosorum hominum, quàm ab hostium insidiis, ac tam ab illorum interna, quàm horum externa vi, tuendorum causá constitutos intelligerent; tempus omne suum inter Juris dicendi & gerendi belli munia æquè partiti sunt: quódq; Legum quodammodo conden- I. Jurisprudentiæ dignitas.

darum potestatem Jurisconsultis Imperatores Romani attribuere. Sed nunc de Juris tantùm Romanorun, per Galliam præsertim, Autoritate, disserendum est: eamque in rem Justinianææ Jurisprudentiæ fatum, ut ita dicam, inspiciendum; atque ab illius ætate ad hæc fermè tempora de ducendum: Ex quo & Juris nostri Origo lucis aliquid accipiet.

2. Jus Justiniani non statim in Occidente valuit.

Etsi universum Juris à Justiniano compositi corpus circa dimidium seculi à Christo sexti absolutum omni ex parte fuerit, atque in Orientis Imperio receptum: in Occidente nihilominùs radices statim agere non potuit, utpote in alieno jam solo. Italiam quidem ab Ostrogothorum ditione Justinianus vindicaverat, Teiâ ultimo eorum Rege per Narsetem devicto, anno Imperii sui 26. Christi 552. Verùm sub initia Justini Junioris, qui ei proximè successit, Longobardi, Rege Alboino è Pannonia transgressi circa annum Christi 606. magnam ejus partem occuparunt: Longino, cæterisq; Exarchis qui Constantinopoli mitti ceperunt, ægrè Ravennam cum Pentapoli sua adversus eos tuentibus, ad an. ferè 752. Apuliæ verò, Sici-

liæque, Saraceni aliquandiu, ac deinde Normanni potiti ſunt.

Gallia per hæc tempora Francorum Regibus maxima ex parte parebat, ut Weſtrogothis Hiſpania. Harum ambarum regionum veteres incolæ Legem quidem Romanam, annuentibus ipſorum Regibus, ſervabant: ſed qualis Co dice Theodoſiano, eoque interpolato, aut ejus abbreviati interpretatione, & receptis ejuſdem Codicis additamentis, continebatur: uti jam indicavimus. 3. In Gallia diu perſeveravit Jus Theodoſianum.

Advenæ verò in Gallia Franci, & ſi qui adhuc Burgundiones; in Hiſpania Gothi; in Italia Longobardi; in Germanico limite Alemanni, aliæque Francis ſubjectæ Gentes, ſuis quæque moribus regebantur. Hinc ortæ poſteà harum nationum Leges à victoribus Francorum Regibus progreſſu temporis in ordinem redactæ & confirmatæ, alicubi etiam correctæ & auctæ; ut patet ex Codice Legum Antiquarum, quas collegit Fridericus Lindenbrogius. 4. Sed unà cum Jure Francico &c.

Tanta verò fuit Regum in ſubditas nationes humanitas, ut non modò ſingulis Gentibus propriarum Legum uſum indulgerent: ſed etiam, nullo 5. Ita ut ſingulis Gentibus permiſſum fuerit Jus ſuum.

inter victores victoſque diſcrimine, liberum privato cuique diu reliquerint arbitrium eligendi quo quiſque ex his Juribus vivere, ac judicari vellet: niſi quòd in rebus Eccleſiaſticis Lex ubique Romana prævaluit.

6. Jus Romanum ſequunti generaliter Itali.

Hanc Romani ipſi ac plerique Italorum retinuerunt, non modò Gothis, ſed & Francis in Italiæ Regno dominantibus.

7. Gallique Narbonenſes, & Aquitani.

Jus idem Romanum Galliæ Narbonenſis, Provinciæque Viennenſis, & Arelatenſis, ac ferè totius Aquitaniæ incolæ in univerſum amplexi ſunt; quod præ cæteris vir Cl. Ant. Dadinus Altaſerra Rer. Aquitanic. lib. 3. per plura capita probat; ut & Innocentius Cironius obſervat. Juris Canonici lib. 5. cap. 2. & ſequentibus, ac Steph. Baluzius ad Agobardum adverſus Legem Gundobadi.

8. Probatur hic uſus in Gallia.

Sanè apud Illuſtriſſ. Hieron. Bignonium in Notis ad Formulas Marculfi lib. 1. cap. ult. laudatur eam in rem vetus Conſtitutio Clotharii Regis his verbis concepta: *inter Romanos negotia cauſarum Romanis Legibus præcipimus terminari*: ubi notandum eſt Romanorum nomine Gallos intelligi, cæteroſque

cæteroſque populos, qui Romanis anteà paruerant, quique generali Antonini Imperatoris edicto civitate Romanâ fuerant donati. Eo ſpectat, apud Marculfum, Donationum & Teſtamentorum juxta Romanorum conſuetudinem Formula quæ 37. eſt libri ſecundi; apud Lindenbrogium verò 73. numeratur. Atque hic uſus confirmari poteſt ex ipſo Titulo eidem ádjectarum Formularum veterum *ſecundum Legem Romanam.*

Idem in Italia, tanquàm recepto more ſervari conſtituerunt Carolus Magnus & Pipinus lib. 2. tit. 56. Legis Longobardorum. Illius conſtitutio cap. 1. ejus tit. ſic refertur: *Sicut conſuetudo noſtra eſt, ut Longobardus, aut Romanus, ſi venerit quod cauſam inter ſe habeant, obſervamus ut Romani ſucceſſiones juxta illorum legem habeant, ſimiliter & omnes ſcriptiones ſecundum legem ſuam faciant; & quando jurant, juxta legem ſuam jurent: & alii ſimimiliter faciant: Et quando componunt, juxta legem ipſius, cujus malum fecerint, componant. Et Longobardos illos convenit ſimiliter componere. De cæteris verò cauſis communi lege vivant,* Et in Italia

quam Dominus Carolus, excellentissimus Rex Francorum atque Longobardorum in Edictum adjunxit.

Pipini autem Constitutio sic habet: *De diversis generationibus hominum, quæ in Italia commanent, volumus, ut ubicunque culpa contigerit, unde fayda crescere poterit, pro satisfactione hominis illius, contra quem culpaverit, secundum legem ipsius, cui negligentiam commiserit, emendet. De statu verò ingenuitatis, aut de aliis querelis, unusquisque secundum suam legem semetipsum defendat.*

8. *Probatur* facultas eligendi sibi Legem.

Concessam autem singulis per universum Francorum imperium facultatem edendi quo jure uti ac vivere mallent, iidem, aliiq; scriptores ex priscis monumentis ita comprobarunt; ut rem adeo certam in dubium revocare ignari omnino sit, aut pertinacis. Id Legis Burgundionibus præscriptæ ac Francis probatæ Titulus LX. demonstrat, qui sic habet. *Cæterùm si quis posthac barbarus vel testari voluerit, vel donare, aut Romanam Consuetudinem, aut barbaricam esse servandam sciant.* Adjecisse sufficiet ex antedicto Legis Longobardorum lib. 2. tit. 57. rescri-

ptum Lotharii Imperatoris, qui filius fuit Ludovici Pii, quod etiam à Gratiano exſcriptum eſt ad calcem Diſtinctionis 10. Ibi Lotharius ad poſtulata Leonis IV. Pont. ad ſe de his rebus miſſa reſpondens; hæc ſanxit. *Volumus ut cunctus populus Romanus interrogetur quali lege vult vivere; ut tali Lege, quali Lege vivere profeſſi ſunt, vivant: illiſque denuncietur, ut hoc unuſquiſque, tam Judices, quàm duces, vel reliquus populus ſciat, quòd ſi offenſionem contra eandem Legem fecerint, eidem Legi, quâ profitentur vivere, per diſpenſationem Pontificis, aut noſtra ſubjaceant.* Illuſtre usûs illius exemplum extat apud Sigonium lib. 8. de regno Italiæ in Bonifacio Duce, ſeu Marchione Tuſciæ, ejuſque filiâ Mathilde Comitiſſa. Teſtatur quippe Bonifacium Longobardicam Legem eſſe profeſſum, Mathildi verò Salicam placuiſſe: uti ex eorum tabulis, quæ Mutinæ in Eccleſia aſſervantur, cognoſcere licet: ubi illud quoque obſervat, etſi liberis alio à parentibus jure uti liceret; non tamen uxori licuiſſe aliam, quàm mariti Legem ſequi: quod ex eodem tabulario Muti-

nensi probat, adducto instrumento quo Maria quædam, cùm ante nuptias professa essét Lege vivere Romanâ, contestatur tamen se posteà cum viro suo Lege Longobardicâ vivere, quòd is Longobardus natione eâ Lege se vivere professus esset. Affirmat porro idem Autor lib. 11. eum usum in Italia. viguisse ad tempora usque Lotharii secundi, qui post inventum, ut diximus, Jus Justinianæum, Lege sanxerit ut imposterùm ex uno illo Jure Civili Romano judicia fierent.

9. Hinc orta consuetudinum diversitas.

Ex hac Regum indulgentia natum est tum illud jurium discrimen, quod inter populos pro regionibus variis intercessit; tum morum illa diversitas, quæ intra cujusque fere regionis fines inolevit. Cùm enim privatis liceret suam sibi Legem eligere: hinc fiebat, ut ubi Lex Romana communi usu vigebat, non pauci tamen Salicam, Gothicamve, aut Longobardicam mallent: & ubi major pars hominum Salicâ, aliáve ejus generis Lege seu consuetudine utebatur: multi invenirentur, quibus Jus Romanum magis placeret. Ex hac itaque jurium mixtura, seu potiùs confusione, evenie-

bat, ut nullibi Lex ulla penitus sincera custodiretur: & sic paulatim omnes populi aliquam Juris non sui partem, unà cum Lege propria, asciscerent. Atque hæc, ni fallor, harum consuetudinum statutorumque diversorum, quæ tractu temporis emerserunt, atque inoleverunt, causa, & origo extitit.

Jus igitur à Justiniano compositum in Occidente (saltem extra Exarchatum Ravennatem) ferè incognitum latuit per sex propemodùm secula. Quamquàm enim Carolus Magnus, postquàm subactis in Italia Longobardis, Imperator Romanorum electus est; de restituendo jure Romano seriò cogitasse dicatur: hoc tamen ejus desiderium exitu caruit, sive ob continua bella; sive deficientibus libris, quibus hoc Jus continebatur. Emersit tamen è latebris tempore Lotharii Saxonis Imperatoris Germanici, cui cognomen aleatori circa annum Christi 1137. 10. Jus Justiniani in Occidéte diu ignotum.

Eo tempore belli, adversus Rogerium Siciliæ Regem, hortante Innocentio II. Pont. suscepti, victor Lotharius ope Pisanorum, qui tunc mari plurimùm pollebant: cum in excidio urbis Amalphitanæ inventus esset vetustissimus 11. In usu esse cepit inventis Pandectis Pisanis.

Pandectarum Codex ; eo volumine tanquàm eximio munere, ac luculento rei benè gestæ præmio, donandos censuit Pisanos. Hi eum librum religiosè servarunt ad annum usque 1406. quo tempore Guidus Coponius Florentinorum dux, captis Pisis, hasce Pandectas, velut præclarum victoriæ monumentum, nec minimam triumphi sui partem, Florentiam transtulit : ubi adhuc earum autographum magnâ curâ asservatur : unde *Pandectis Florentinis* nomen. Anteà quidem non omnino incognitum, etiam in Gallia, fuisse Jus illud Justiniani, vel ex Ivone Carnotensi probari potest, qui cum circa an. 1090. in vivis esse desierit, nonnulla ex ejus libris transtulit in suum Decretorum opus.

Vulgato Pandectarum opere, Wernherus (Irnerium Itali dixere) magni nominis per ea tempora Jurisconsultus, qui apud Constantinopolim ei studio dederat operam, plurimumque poterat apud Lotharium; ei Autor fuit, ut Jus Romanum Justiniani publicè in Academiis doceri, atq; ex eo causas in foro imposterùm judicari juberet :ipseque primus paulò post Bononiæ Jus Civile docuit.

Hinc ingens extitit Juriſconſulto- 12. Brevi in Galliâ invectum.
rum examen : quorum ſtatim in Galliam non pauci migrarunt ; nec modò Placentinus apud Montem Peſſullanum Jus Civile profeſſus eſt, unde oriundus erat ; ſed & alii alibi : adeò ut Lutetiæ hoc ſtudium jam tum circa ann. 1150. floruiſſe legatur, volente, & Doctores atque auditores fovente Ludovico VII. Rege. Ejus rei oculatum teſtem habemus Rigordum Philippi Auguſti Capellanum, cujus hæc in hiſtoria Philippi ejuſdem, notanda ſunt verba. *In diebus illis ſtudium literarum florebat Pariſius : nec legimus tantam aliquando fuiſſe ſcholarium frequentiam Romæ, Athenis, vel Ægypti, vel in qualibet parte mundi, quanta locum prædictum ſtudendi gratiâ incolebat : quod non ſolùm fiebat propter loci illius admirabilem amœnitatem, & bonorum omnium ſuperabundantem affluentiam ; ſed etiam propter libertatem & ſpecialem prærogativam defenſionis, quam Philippus Rex & pater ejus ante ipſum, ſcholaribus impendebat. Cùm igitur in eadem nobiliſſima civitate non modò de trivio & quadrivio* (id eſt, de ſeptem artibus quæ

liberales vocantur, & quarum tres ſermonem, quatuor quantitatem ac res ipſas reſpiciunt) *verùm & de quæſtionibus* JURIS CANONICI *&* CIVILIS, *& de ea facultate, qua de ſanandis corporibus ſcripta eſt, plena & perfecta inveniretur ſcriptura: ferventiori tamen deſiderio ſacram paginam & Theologicas quæſtiones docebant.*

13. Ejuſque ſtudiũ magno ardore arreptum.

Tanto autem ſtudio harum Legum Romanarum ſcientiam homines illorum temporum appetere ceperunt; ut ei non modò Laïci, ſed Clerici quoque, imò & Monachi, deſertis ſedibus muniiſque ſuis, ſedulò incumberent, & Leges Imperiales reliquas ſcientias ſuffocarent, ut querebatur Martinus quidam Clericus apud Giraldum Cambrenſem. Quod, quanquàm eo colore fieret, ut eſſent in Monaſteriis, & Collegiis qui eorum cauſas defendere poſſent; reverà tamen divitiarum atque honorum ſpe impulſi huic diſciplinæ ſe penitus, neglectâ Theologiâ, dedebant, tum ordinis Eccleſiaſtici homines, tum etiam cœnobitæ. Qua de re videndus præ cæteris Arthurus DUCKius lib. 2. de uſu & Autorit. Juris Civilis, cap. 8. parte 2. §. 31. & 32.

Atque hæc eò proruperunt, ut reprimi hunc perdiſcendi Juris Civilis ardorem neceſſe fuerit, vetitis religioſis, ſive hac de cauſâ, ſive ad medicinam diſcendam, Monaſteriis ſuis egredi: quòd Concilii Turonenſis ab Alexandro III. Pontifice anno 1163. ex univerſo pene Occidente congregati, Can. 8. cautum fuit; ex quo deſumptum eſt Cap. tertium extrà, *ne Clerici vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant.* Eodemque pertinet Honorii III. Decretalis circa annum 1219. emiſſa in Cap. ſuper ſpecula 28. de privilegiis: ubi ſub excommunicationis interminatione interdicitur, ne Pariſiùs (in unica ſcilicet Galliæ tunc temporis Academia) vel in civitatibus, ſeu aliis locis vicinis, quiſquam doceret vel audiret Jus Civile: cujus Conſtitutionis ſi quis inſcriptionem ſpectet *ad Capitulum Pariſienſe & cæteros Eccleſiæ Prælatos Pariſiis commorantes*; præterea partem deciſam attentè legat, ubi hæc affertur ratio, *quòd non debeat à Clericis & Monachis pro derelicto haberi ſacræ Theologiæ ſtudium;* cæteraſque ejuſdem Decretalis partes, quæ extant tum in Cap. ult. *ne Cle-*

14. Et Monachis interdictum, & Clericis majoribus Lutetiæ, ut alibi.

rici vel Mon. secularib. negot. se immisceant, tum in Capit. ult. de Magistris : sique cum his conferat, Bonifacii VIII. Decretalem primam & secundam sub tit. *ne Cler. vel Mon. in 6.* ex his omnibus facilè judicabit eam ad Clericos tantùm in Ecclesiastica dignitate constitutos pertinuisse. Nec verò aliter illam accepit optima Legum interpres Consuetudo, ut àlibi est à me demonstratum.

15. Apparet autoritas Juris Civil. in Gall.

Ex his apparet magnam esse Juris Justinianæi etiam in tota Gallia autoritatem. Eam quidem non ab Autoribus legum Romanarum, non ab ipso Justiniano nactum est, qui nulla unquam in parte Galliarum imperavit; longè minùs ab Imperatoribus Germanicis, qui leges in eo comprehensas nec condiderunt, nec, ut extra Germaniam servarentur, jubendi habuere potestatem.

16. Idque ex Regum voluntate

Omne itaque apud nos robur suum Christianissimis Regibus debet Jus Romanum, qui clementiâ providentiáque suâ dignum, sibique ipsis magnificum duxerunt usum æquissimarum Legum ab iis sancitarum, qui priùs in Gallia imperassent, quorumque in Jus ipsi

non armorum modò vi, ſed (ut aliàs à me probatum eſt) fœderum quoque jure, ſucceſſiſſent, petentibus populis indulgere. Nec verò Romanam tantùm Legiſlationem, ex Theodoſiano Codice, ſive potiùs Codicis Breviario, prout mos illorum temporum ferebat; ſed & Burgundicam à Gundebaldo Rege denominatam; Gothicam, atque Alemannicam Merovingii; & Boioaricam, Saxonicam, Friſicam Carolovingii permiſerunt; non minùs quam Ripuariam Salicamve, quæ duæ, ni fallor, fuere Leges, quibus uſi, Eghinardo teſte, veteres Franci. Pari deinde benignitate Capevingii, ut prolatum à Juſtiniano Jus Romanum trans Duranium tranſque Rhodanum colentibus *: ita citerioribus populis, variè mixtas ex Romano Francicoque Jure Conſuetudines; cunctis denique ſubjectis Imperio ſuo gentibus, prout unaquæque in eorum venerat poteſtatem, inſtituta, quæ cuique anteà placuerant, rata manere voluerunt.

Sed duo ſunt prætereà quæ enixam Chriſtianiſſimorum Regum in fovendo, excolendo, atq; probando Jure Romano voluntatem non leviter adſtruunt: quòd

* Extat Car. 7. reſcriptum in actis Senatus Toloſ. ut à v. ſ. Cl. Bazino Beſontio digniſſ. Com. Cõſiſtoriano accepi.

17. Quæ probatur ex Academiarum erectione, & Judicum examine.

nimirùm, ejus uſum dimidiæ ampliſſimi Regni ſui parti conceſſiſſe non contenti; illud & in Academiis omnibus à ſe erectis publicè doceri; & futuris per totam ditionem ſuam, ſive Advocatis, ſive Magiſtratibus ad fori munia admittendis, pro Lydio lapide eſſe voluerunt.

18. Propter eximiam ſc. Juris ejus Utilitaté.

Videbant nimirùm, pro ſua prudentia, Jus Civile Romanum adeo æquitati naturali conſentaneum, ejuſque ſanctiſſimas Leges ad rectè decidendum omne genus negotiorum ita comparatas eſſe: ut ex eo ſolo certa Juris gentium principia, veræque iudicandi regulæ peti poſſint; ejuſque comparatione mutilæ ſint cæteræ omnes Legiſlationes. Hinc Lex Romanorum *Legum omnium mater* meritò appellatur in Additione quarta ad libros Capitularium cap. 102. aliàs 103. Hinc & D. Ludovicus, & alii tum Franciæ, tum Hiſpaniæ Reges in Conſtitutionibus ſuis, omneſque Legum Interpretes, Leges Romanas *Juris Scripti*, & *Juris Generalis* ſive *Communis* nomine decorare non dubitant. Carolus imprimis Molineus ad Conſuetudines Pariſienſes, Jus Romanum tam æquum eſſe affirmat,

affirmat, & rationi conveniens; ut omnium ferè Christianarum gentium usu & approbatione commune sit effectum. Sic Ludovicus Servinus, Generalis in Senatu Parisiensi Advocatus, in Oratione de testamento Comitis Lavallii, Jus Civile Romanorum naturali & Civili æquitate ante omnes Leges pollere ait; & ad illud omnes ubique recurrere. Cui consonat quòd Dionysius Gothofredus in praxi rerum civilium testatur Jus Civile Romanorum, Legum sanctitate & disciplinâ, exterarum gentium omnium Legibus & Institutis præponderare, omniaque populorum jura & mores in se comprehendere.

19. Nec obstat dictum Chr. Thuani Præsidis.

Neque his adversatur Christophori Thuani primi Præsidis opinio, censentis Jus Romanorum apud nos locum habere rationis scriptæ duntaxat, cum Regum Constitutiones, & gentis cujusque Consuetudines nostrum propriè Jus constituant. Nam P. Lisetus, & ipse Præses, teste Coquillio in Præfatione ad Consuetud. Nivern. in alia sententia erat; contendebatque Jus Civile Romanorum esse Gallorum quoque Jus Commune: ideoque Con-

ſtitutiones & Conſuetudines, in quibus Jus Gallorum proprium verſatur, Jus eſſe ſtrictum, ſtrictamque interpretationem recipere. Præterea nominis reverà magis, quàm rei hîc quæſtio agitur: quando nec Lex ſine ratione eſſe poteſt; & ratio apud omnes homines, qui quidem homines ſunt, Legis loco eſſe debet.

20. Neceſſarius Juris R. uſus deficiente in multis Gallico.

Neque verò abnuerim quin in iis cauſis, quæ Regiâ Conſtitutione aut receptâ Conſuetudine definiuntur, huic Juri Galliæ proprio ſtandum omnino ſit. Verùm ubi Jus noſtrum deficit, ad Jus Romanum, tanquàm ad limpidiſſimum, non ſolùm æquitatis, ſed & Edictorum atque Inſtitutorum noſtrorum fontem, recurri oportere cum pleriſque Juriſconſultis Gallicis aſſevero. Cum Molineo dico in Conſuet. Pariſ. Tit. de Feudis n. 106. cum Fguinario Barone in Conſtitutionem Juſtiniani ad Senatum & omnes populos; cum Chopino de communib. Francicarum Conſuetudinum præceptis. quod adeo verum eſt, ut ſupremarum etiam Curiarum Judices ſecundum Jus Romanum pronunciare ex officio debeant. Ita certè affirmare non verentur Re-

buffus de reprob. test. n. 175. Charondas Responsorum lib. 3. responso 96. & ad Edictum Francisci II. de secundis nuptiis; Paschasius lib. 9. Disquisitionum seu observationum quas Gallicè scripsit cap. 38. Ranchinus lib. 2. variarum lectionum cap. 3. aliiq; non pauci.

Et sanè si quis ex vero rem æstimet, litium, quæ in forum deferuntur, nonnisi partem longè minorem Legibus noribusque nostris decidi posse necessariò fatebitur: adeo angustis finibus hæc omnia concluduntur. Constitutiones quidem Regum Christianissimorum paucissima Juris privati capita complectuntur, circa munia Magistratuum, qui in hoc regno propè innumeri sunt; circa cujusque ordinis aut corporis Jurisdictionem, circa ordinem judiciarium in disceptandis terminandisque apud varia Judicum auditoria controversiis, servandum, maxima ex parte versantur. Consuetudines autem, si Feudales & censuales causas, conjugum communionem, (ex vetustissimis Gallorum Institutis ortam) formamque testandi, & pauca successionum capita demas: vix quicquam 21. Ut notum cuivis forum sequenti.

habent, quod usûs alicujus sit. De cæteris omnibus negotiorum figuris, altum in his silentium: ità ut, deficiente in majori parte causarum, jure Galliæ speciali; consulendum necessariò veniat Jus scriptum, sive Civile, sive Canonicum, pro diversarum controversarum natura. Quin & si quis rem accuratius dispiciat Originem aut prima certè quædam, tum Gentilitii, ut vocant Retractus, tum ipsius Feudorum Juris, Semina in Jure Civili haud ægrè deprehenderit.

22. Jus proprium Galliæ inde manat.

Accedit quòd Constitutiones ipsæ & Consuetudines Romanis è fontibus manant: tantamque cum Jure scripto familiaritatem habent, etiam cùm ab eo deflectunt, eive derogant: ut quemadmodúm, communi omnium judicio, Juris Canonici nemo idoneus est auditor sine Juris Civilis peritia; ita nec teneri ac percipi à quoquam sive Leges, sive Mores Francici possint, nisi qui in Legibus Romanis apprimè versatus fuerit. Id vel ex omnibus editis, tum in Regias Constitutiones, tum in, Consuetudines Commentariis apertissimè liquet; quorum Autores ad Jus nostrum interpretandum,

nonnisi petitis ex Jure Civili rationibus ubique utuntur; suasque interpretationes, Legum, aliquando & Canonum, autoritate fulciunt: ut eos pudere omnino debeat, qui in Juris Consuetudinarii regionibus, nullam esse Legum Romanarum vim, usum propè nullum audent affirmare. Qui profectò, dum propriæ aut alienæ inertiæ velificantur, non Juris hujus probant inutilitatem, sed suam ipsorum inscitiam produnt.

Huic tractatui, deesse aliquid haud dubiè videretur, nisi aliorum exemplo gesta subjungeremus Justiniani, quem Romani Juris, quo utimur, Autorem agnoscimus.

JUSTINIANI VITA.

CAPUT VIII.

JUSTINIANUS Imperator non Salonæ in Dalmatia & Illyrico Occidentali, non in Thracia natus est, ut quidam scripsere: sed in Dacia Mediterranea, Orientalis Illyrici Provincia, Thraciæ proxima, quantum ex

1. Justiniani patria.

ejus Novella XI. conjicere licet, quâ patriam suam, sive Achridem, sive Bederinam (variè quippe traditur) sub Justinianæ primæ nomine, ut sede Præfecti prætorio Illyrici, ita & Archiepiscopatu seu Primatu decoravit. Is à Justino avunculo ex humili, armentarii scilicet, fortuna ad Imperiale fastigium, post Anastasium evecto, Nobilissimi priùs, ac deinde Cæsaris titulo auctus; tandem Imperator creatus est flagitante populo Constantinopolitano, Kal. Aprilis, Mavortio Consule, hoc est anno à partu Virginis 627. Tum defuncto, post menses quatuor, Justino, imperium solus moderari cepit Kal. Augusti, annum ætatis ferè 45. agens. Tum bello, tum pace inclytus fuit: in administrando imperio viros doctos fortesque atque industrios nactus.

2. Bellum Persicum.

Primum adversus Cavadem Persarum Regem bellum gessit, qui Mesopotamiam Syriamque populabantur. Hoc bellum Gentis Lazicæ gratiâ, quæ olim Colchorum Natio fuit, susceptum est initio imperii, cùm Rex Lazorum Tzathus Romanorum religionem fœdusque esset amplexus. Ad

id bellum gerendum missus anno 529. Belisarius, re ancipiti exitu gestâ, inde à Justiniano revocatus est anno 531. atque in Africam adversus Vandalos ire jussus. Sequenti anno, qui sextus Imperii Justiniano erat, pax cum Persis inita est, eâ lege, ut utrisque bellum in Lazica gerere liceret.

3. Seditio Constantinopol.

Eodem anno Constantinopoli ingens est coorta seditio, per quam Hypatius, Patricius Imperatoris Anastasii nepos Imperatoria sumpsit insignia, cum Pompeio & Probo consobrinis. Justinianus, cum de fuga capessenda cogitaret; hortatu tamen Theodoræ uxoris palatium muniit: ac prælio in ipsa urbe Constantinopolitana facto, Belisarii, & Narsetis operâ, occisis, unâ die, triginta circiter hominum millibus, suppliciοque affectis Autoribus, hunc tumultum repressit. Complures tunc Ecclesiæ subversæ, quæ post à Justiniano restitutæ: imprimis verò S. Sophiæ templum, quod anno Imperii sui 10. maximis sumptibus instaurare cepit. Ea seditione populi furor contra duos Imperatoris familiares exarsit, Joannem Cappadocem Præfectum

Prætorio, & Tribonianum Quæstorem ſacri Palatii. Horum uterque pecuniæ ſupra modum avidus: Joannes, literarum omnino rudis, vafer tamen, multiſque inquinatus flagitiis: Tribonianus è Pamphylia oriundus, Juris quidem eâ tempeſtate callentiſſimus habebatur; ſed Leges pretio figere dicebatur ac refigere. Utrumque Juſtinianus exauctorare coactus eſt placandæ plebi. Sed pauló poſt in priſtinum gradum reſtituit. Et Tribonianus in dignitate diu perſtitit, donec morbo extinctus eſt: Joannes decimo poſt anno, Chriſti 542. omnibus exutus facultatibus, in Preſbyterum attonſus, atque in Ægyptum amandatus, miſerrimam illic vitam duxit, ad mortem uſque Theodoræ Auguſtæ, annumque Chriſti 548. Tunc à Juſtiniano revocatus, in Sacerdotio perſeveravit; falſis viſis in ſpem adductus imperatoriæ dignitatis adipiſcendæ. Verum præſtigiarum ejuſmodi fides non aliter eſt impleta, quàm ubi Sacerdos initiatus cum Clericalis ordinis indumenta deeſſent, Preſbyteri, cui nomen Auguſto, Tunicam ſumere adactus eſt.

4. Bellum Vandalicum in Africa.

Vandalicum poſteà bellum, duce Be-

lisario eodem inchoatum anno 533. sequenti finitum est, captâ Carthagine; ac Gilimere, (qui Hilderico interfecto, Vandalorum regnum invaserat,) post longam obsidionem redacto in potestatem, & Constantinopolim abducto, Justiniani quarto Consulatu. Qua de causa Belisario permissus triumphi honor jamdiu obsoletus: nisi potiùs ovationis species fuit, cum non curru veheretur triumphator, sed pedes ambularet, captivis ante se traductis, inque his Gilimere ipso, qui ad Justinianum in Hippodromum deductus, eumque adorare coactus est. Is casum suum non gemitu aut dolore, sed risu prosecutus, illud identidem ex sacris literis proferebat: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*: Post triumphum agro in Cappadocia donatus est; patricia quoque dignitate decorandus si hæresim ejurare voluisset. Sic eversum est Vandalorum in Africa regnum anno 96. post occupatam à Genserico eorum Rege Carthaginem; anno autem 108. à prima Vandalorum in Africam irruptione. Nec tamen ante annum imperantis Justiniani 19. quieta à Maurorum incursionibus Africa fuit.

r. Bellum Gothicum.

Vandalicam expeditionem excepit bellum Gothicum in Theodatum Amalaphridæ Theodorici ſororis filium, ad regium culmen evectum ab Amalaſuntha ejuſdem Theodorici filia; quæ ab eo necem pro beneficio tulit, agente ut creditum est, Theodorâ Juſtiniani uxore, verita, ne Juſtinianus Amalaſuntham ſibi anteferret. Hujus cæde commotus Juſtinianus, qui aliunde recipiendæ Italiæ deſiderio flagrabat, Ducem Beliſarium contra Gothos immiſit anno Chriſti 535. Hic Siciliam anno eodem occupavit, Syracuſis potitus. Sequenti anno Beliſario fortiter obſtitit Vitiges à Gothis Rex electus Theodato interempto. Romam tamen cepit Beliſarius anno 536. & à Vitige obſeſſam annum integrum atque inſuper dies novem, liberavit anno 538. Pauló poſt Ravenna, ipſeque cum conjuge Vitiges in poteſtatem venit. Hunc Beliſarius anno 540. à Chriſto nato, belli quinto, ad Juſtinianum adduxit. Poſtmodum Totilas vir fortitudinis & prudentiæ non vulgaris, Rex à Gothis, poſt Aldibaldum & Eraricum creatus, res Gothorum in Italia afflictas, non magis bellica virtu-

te, quàm justitia atque animi moderatione erexit. Fusis sæpius Romanis, urbem anno 546. cepit: eamque à Belisario, rursus in Italiam transmisso, receptam, biennio post recuperavit. Sed anno belli 18. Christi 552. regni 11. Totilas idem, à Narse Eunucho, natione Persa, prælio victus, atque in fuga est obtruncatus. Denique Teia postremo in Italia Rege Gothorum paulò post interfecto, finis bello Gothico impositus est anno Christi 553.

Intereà Persicum in Oriente bellum recruduit anno Justiniani exeunte 13. Christi 540. excitato per Vitigem Gothum ad infringendam pacem Chosroë. Is taq; vastata Syria Antiochiam cepit, atque incendit. Tandem quinquennales induciæ anno circiter Christi 545. Justiniani 19. instauratæ sunt, ita ut nihilo secius bellum interim in Colchide gereretur. Tum quinquennales rursus inter utrosque pactæ sunt induciæ anno 551. non sine Romanorum infamia, qui tributum Persis pendere sunt coacti, Lazis ob Gubazem Regem fraude Romanorum Ducum interfectum ad Persas deficientibus. Sed redintegrato postmodum fœdere dato- 6. Bellum Persicum renovatum.

que Lazis Zathe Rege, Persæ ingenti prælio victi. Quâ clade adeò est irritatus Chosroës, ut Nachoragano Duci cutem, in pœnam rei malè gestæ, detrahi jusserit. Idem rursus de Colchide cum Justiniano ita pactus est; ut quod quisque tum in ea obtineret, per inducias servaret, donec inter eos pax omnino coaluisset. Ea tandem in annos 17. convenit anno Christi 561.

7. Hunni repulsi. Intermedio tempore in Thraciam sæpius irruperunt Hunni, positisque non procul ab ipsa Constantinopoli castris, vicina impunè populati sunt sub annum præsertim 558. cùm jam senio fessus Imperator, animo æquè ac corpore æger, neglectâ rei militaris curâ, se se totum ædificiis moliendis, pacisque artibus dederet: donec tandem consilio ac virtute Belisarii, quantumvis ætate confecti, non sine insigni clade, Hunni repressi fugatique sunt.

8. Mors Justiniani. Tandem Justinianus, cum in Eutychianam hæresim incidisset, negans Christum Dominum à Virgine humani quicquam traxisse, ejusque carnem, dum in vivis esset, pati aliquid, aut corrumpi potuisse: Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum huic pravo

pravo dogmati ſubſcribere recuſantem loco movit: ac paulò poſt è vivis exceſſit extrema jam ætate, annos ſaltem duos ſupra octoginta natus, die XIV. Novemb, Indict. 14. anno Domini 565. cum imperaſſet annos 38. menſeſque inſuper 8. Ejus jam defuncti pietatem commendat ex anteactis Romanus Pontifex Agatho in epiſtola quæ recitata legitur in ſexta Synodo. Eodem anno quo Juſtinianus, obiit tot ſub eo victoriis inclytus Beliſarius, cum biennio ante conſpirationis ſuſpectus, boniſque omnibus ea de cauſa exutus; compertâ paulò poſt veritate in gratiam rediiſſet, famæque & facultatibus fuiſſet reſtitutus.

Præter bella hîc memorata, & Juris Romani deſcriptam à nobis anteà Collectionem, pluriumque ædificiorum magnificentiam: duo adhuc ſunt notanda quæ imperante Juſtiniano contigerunt. Synodus v. Oecumenica, Conſtantinopoli eo autore celebrata adverſus tria quæ vocant Capitula, & Origenis errores, anno 553. Vigilio Pontifice Maximo: &, ſi hoc quoque tanti eſt, Serici conficiendi ratio circa annum 551. à quibuſdam Mo-

nachis ex India Constantinopolin allata: hoc luxus instrumento per eos, qui maximè ab omni luxu abhorrere debent, si non primùm invecto, saltem, majori facilitate inventâ, non parum inter Christianos amplificato.

9. Unde haurienda Justiniani historia.

Hæc ex veteribus Historicis decerpta sunt, qui de rebus Justiniani scripsere in his primas tenet Procopius, cujus sunt decem libri; duo scilicet de bello Persico; totidem de bello Vandalico; quatuor de bello Gothico; is cui Ἀνέκδοτα nomen fecit, quod eum vulgare ausus non esset, ut pote Justiniani, Belisarii, ac totius aulæ vitiis atque in eos conviciis refertum; & qui de Justiniani ædificiis est inscriptus. Sequutus est Agathias, cujus de imperio Justiniani extant libri quinque. Hunc Theophanes excepit, qui gesta sub Justino juniore literis mandavit, admixtis etiam Justiniani rebus. Possunt & ex Zonara, & ex Marcellino Comite, itemque ex Evagrii & Nicephori Ecclesiastica Historia, huc pertinentia quædam colligi.

10. An is literarum prorsùs rudis.

Cæterum Suidæ minimè habenda fides est, cum Justinianum ἀμάθητον, & ἀναλφάβητον, ac literarum omnino

rudem fuiſſe ſcripſit. Id ſanè vel ex eo refelli poſſe videtur, quod ipſe Imperator teſtatur ſe Inſtitutionum libros & legiſſe, & recognoviſſe. Verùm error ex nominum affinitate ortus eſt. Suidas quippe Juſtiniano perperam adſcribit, quod Procopius, teſtis oculatus, Juſtiniani avunculo & Patri adoptivo longè veriſimiliùs tribuit, Juſtino ſcilicet, quem ex ſubulco militem, ex milite tribunum, hinc Comitem, tandemque Imperatorem, admirabili fortunæ viciſſitudine, factum eſſe conſtat.

II. De Francici titulo per eum uſurpato.

Illud non pigebit adjicere, Theodebertum Francorum per Auſtraſiam Regem, magni Clodovæi nepotem, adeò ægrè tuliſſe, quòd Juſtinianus Francici titulum Edictis ſuis inſcriberet; ut ea maximè de cauſa icto fœdere cum Gothorum in Italia Regibus Theodato ac Vitige, pro ipſis adverſus Imperatorem arma ſumpſerit. Extremo enim Vitigis, apud Ravennam obſeſſi, tempore, anno Chriſti 539. cum centum armatorum millibus in Italiam irrupit, Liguriamque & Alpes Cottias cum magna Venetiæ parte ſubegit: ſed, graſſante in ſuos morbo, do-

mum remeavit : ita tamen ut ibi relictus ab eo Buccellinus dux, magnam Italiæ intulerit vastitatem. At Theodebertus idem, paulò ante obitum, non infructuosam cum Justiniano pacem fecit anno 548. Quam & filius ejus Theodobaldus, petente per Legatos Imperatore, firmavit. Nec tamen aut Totilæ bellum intulit, paterni cum Gothis prioris fœderis memor: nec posteriorem cum Romanis pacem, quantumvis à Gothis interpellatus, abrupit. Verùm circa annum 555. Leotharis & Bucellinus fratres, (Rege è vivis jam exempto) cum Francis & Alemannis nova expeditione suscepta, in Samnium usque simul progressi sunt. Divisis exinde copiis, Bucellinus secundum mare Tuscum ad fretum Siculum arma circumtulit, inque ipsam Siciliam penetravit: Leotharis in Apuliam & Calabriam populationibus pervenit : atque hinc in Venetiam præda onustus sese recepit. Ibi æstate ingruente, & contracto ex æstu morbo interiit, exercitus & prædæ maximâ parte amissâ. Bucellinus verò, cum Gothis fidem obstrinxisset, Regniq; apud eos obtinendi spem con-

cepisset ; cum millibus hominum triginta substitit in Campania : atque ad Casilinum à Narsete Justiniani duce, fusus, cæsusq; est cum universo exercitu.



DE ROMANI JURIS INTERPRETIBUS PRIMARIIS, ET INTERPRETANDI RATIONE

CAPUT IX.

INFINITUM, atque adeò impossibile, nec tamen utile admodum esset, omnes Juris Romani Interpretes recensere. Postquàm enim Juris illud Corpus à Justiniano conditum invaluit per Occidentem ; Doctorum ingens subinde ex Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæque Academiis agmen prodiit : quorum lucubrationibus innumeris aucta partim & illustrata, partim obruta atque obscurata est Romana simul, & patria cujusque gentis Jurisprudentia : ut hodie reverà mole suâ ubique laboret. Hîc mihi progres- 1. Interpretes innumeri.

ſum ejus rei paucis deſcribere ſat erit.

2. Gloſſatores. Irnerius, imitatione Græcorum, qui Scholiis Baſilica interpretati erant, in Juſtiniani libros, ac præſertim in Digeſtum vetus, & Codicem, Notas breves edidit ſub Gloſſarum nomine. Eum proximè ſequuti, Jacobus antiquus Gloſſator, Martinus Goſia, Bulgarus, Rogerius, Joannes Boſſianus, Placentinus, Hugolinus, Jac. Balduini, Roffredus, in eo docendi genere diu perſeverarunt. Ex horum omnium Gloſſis, ſuam deinde Accurſius anno 1220. confecit: quæ nunc vulgò hominum manibus teritur. In ea ſibi ipſi adverſarium videri Accurſium, nihil mirum, quando ex tot diverſorum Interpretum, plerumque invicem diſſidentium, ſententiis opus ſuum cõflavit: at Gloſſas in Librũ Feudorum à Bulgaro & Pyleo editas, emendavit poſtremò, & locupletavit Jacobus Columbinus.

3. Summiſtæ. Gloſſatoribus acceſſere qui Jus certâ methodo in compendium redigere conati ſunt: quod primus, ſed minùs feliciter, tentavit Rogerius, qui & primus Gloſſas ad Infortiatum emiſit. Ejus æmulatione Placentinus Gallus in Narbonenſi provincia natus, apud

Montem Pessulanum luculentiorem Epitomen conscripsit in Codicem atque Institutiones, sub annum 1200. ut posteà Joannes in Digestum, & paulò utiliùs in librum Novellarum. Sed veteres in eo genere omnes Azo, Joannis auditor superavit, cujus Summæ Odofredus quædã adjecit haud inutilia. Feudorum quoque Sũmam, post Pyleum, reformarunt Jac. Columbinus eorumdem Glossator, & Jacobus Ardiccionus.

4. Commentatorum varia genera.

Post hæc Jacobus à Ravanis Lotharingus, quæ simpliciter à majoribus tradita fuerant, sive indicatis similibus Legum locis; sive unaquaque materiâ, quæ sub titulis continebatur, in Epitomen redactâ: ea ad dialecticum arguendi modum adduxit; dum argumentorum multitudine quæstiones tractat, aut onerat. Inde ortus Commentandi novus mos; quo non tantùm Textus, sed vel magis Glossarum verba Doctores exponere cepere. Sic in immensum excreverunt, mutuis altercationibus, difficultates. Hunc Interpretandi modum sequuti sunt plerique ab anno ferè 1250. ad 1500. & eò ampliùs. Lecturas Librorum vocabant; Repetitiones autem Legum sin-

gularium : unde tractu temporis exiit ingens illa Collectio, cui nomen Tractatus Tractatuum. Floruere autem ab anno 1250. ad 1350. Odofredus imprimis, Dinus Mugellanus, Jacobus de Arena, Olradus de Ponte, Albericus de Rosate Itali. Petrus de Bella pertica, & Joannes Faber Galli : Post hos prodiere Bartolus à Saxoferrato, Lucerna Juris cognominatus : Baldus de Ubaldis; Bartholomæus Salicetus; Raphaëles duo, Comensis, & Fulgosius (quorum opera Mariano Socino Juniori, & Cujacio non mediocriter probata : nisi potiùs Christophori Castellionei sunt, cujus uterque discipulus cujusq; scripta inter se partiti esse, ac pro suis venditasse dicuntur). Joannes deinde ab Imola, Paulus Castrensis, Franciscus Accoltus Aretinus, Alexander Tartagnus Imolensis, Bartholomæus Socinus, Jason Mainus in pretio fuere Itali omnes, quibus se Gallus unus inseruit Lucas de Penna Tolosanus. De his extat Alciati judicium versibus exaratum.

In Jure primas, comparatus cæteris,
Partes habebit Bartolus.
Decisiones ob frequentes actio

Baldum forensis sustinet.
Non negligenda maximè est tironibus
Castrensis explanatio.
Opinionum tutius Symplegadas
Superabis Alexandro duce.
Ordinis Jason, atque lucis nomine,
Videndus est properantibus.
His siquis alios addiderit Interpretes,
Onerat quàm honorat verius.

5. Politiores Interpretes sæculi XVI.

Hactenus, ut in cæteris artibus, ita in Jurisprudentia quoque, mera barbaries; & tum doctarum linguarum ac purioris Latinitatis, tum historiæ veteris, omnisque propemodùm literaturæ ignoratio mira regnaverat: ut quisquis horum Interpretum scripta, cum ipso Juris, quod enarrandum susceperant, corpore, scriptisque priscorum Jurisprudentium contulerit; assutas purpuræ Tyriæ vilissimi panni lacinias agnoscat. Sed omni scientiarum genere feliciter illustratum seculum huic nostro proximum, plurimos tulit magni nominis Jurisconsultos, quorum operâ ingens huic scientiæ lumen accessit. Autores adjungendarum ad dilucidandum Jus Romanum literarum humaniorum fuere Guill Budæus Gallus, Æmilius Ferre-

tius Italus ſed in Gallia plurimùm verſatus, atq; Udalricus Zaſius Germanus. Hos inſequuti eodem ſeculo ex Gallis Petrus Rebuffus, Joannes Coraſius, Andreas Tiraquellus, Franciſcus Duarenus, Eguinarius Baro, Carolus Molineus, Franciſcus Connanus, Franc. Balduinus, Jacobus Cujacius, Stephanus Forcatulus, Hugo Donellus, Franc. Hotomannus, Petrus Faber, Joannes Robertus, Ant. Contius, Joan. à Reberteria, Joan. Fornerius, Barnabas Briſſonius, Æmarus Rivallius, Dionyſ. Gothofredus: quibus Guillel. Doujatium proavum meum non piget annumerare, quamvis pauca ejus ſcripta in lucem publicam ſint emiſſa.

Inter Italos ejus ætatis celebrantur Joannes Sadoletus, Franciſcus Mantica, Jacobus Menochius, Taurelli pater & filius, Andreas Alciatus, Marianus Socinus junior, Guido Panzirolus.

Hiſpania inter cæteros Antoniũ Auguſtinum, Ferdinãdum Vaſquium Menchacenſem, Ariam Pinellum, Antonio Gomezium cum Ant. Goveano Luſitano dedit.

Belgicæ Provinciæ Jacob. Rævardũ, Viglium Zuichemum, Nicolaum Ever-

hardum, Petrum Peckium protulere.

Germania Joachimum Mynsingerum, Joannem Oldendorpium, Claudium Cantiunculam, Joannem Thomam Freigium, Gregorium Haloandrum, Joannem Leunclavium, Nicolaum Cisnerum, Nicolaum Vigelium, Valentinum Forsterum) Joannem Schneidevinum, (qui Græcum aliquando Oinotonii nomen affectavit, Joannem Sicardum, Joannem Fichardum, Simonem Schardium, Hubertum Giphanium, Matthæum Wesembecium, Henricum Agylæum.

At fœcundissima litterarum bonarumque omnium proventu ætas nostra plurimos ubique tulit magni nominis Jurisconsultos: imprimis autem, quorum scripta ad Jus Civile pertinentia ad meam notitiam venerint, fuere, aut adhuc sunt ad annum usque à Virgineo partu 1678. *6. Hujus ætatis.*

In Gallia nati .... Raguellus, Antonius Faber Guil Ranchinus, Guilielmus Maranus, Antonius Mornacius, Petrus Gregorius Tolosanus, Joannes à Costa, Emundus Merillius, Carolus Labbæus, Franciscus Marsis, Bernardus Autumnus, Alexander Chassa-

næus, Carolus Annibal Fabrotus, Joannes Davezanus, Joannes Broæus, Joannes Mercerius, Antonius Dadinus Altaſſerra, Claudius Columbetus, Jacobus Gothofredus, Joannes Oſius, (vero nomine Orrius,) Ægidius Menagius, Nicolaus Catherinotus, (qui ſe Catharinum appellari maluit), Michaël Legius, Petrus Collonquiius, Daniel Galterius.

In Italia Andreas Fachineus, Proſper Farinacius, M. Antonius Peregrinus, Julius Pacius à Beriga, qui plurimum vixit in Gallia, Nicolaus de Paſſeribus, Scipio Gentilis.

In Germania Joannes Borcholten, Henricus Vulteius, Hieron. Treutlerus, Helfricus Ulricus Hunnius, Joannes Calvinus, Reinardus Bachovius, Henricus à Roſenthal, Chriſtophorus Beſoldus, Joan. Althuſius, Cunradus Rittershuſius, Gerardus Tunningus.

In Belgio Everardus Bronchorſt, Bernardus Schotanus, Henricus Zoëſius, Antonius Perezius, Arnoldus Vinnius, Arnoldus Corvinus, Petrus Gudelinus, Hugo Grotius.

7. Cur non plures nominati.

Nec ſum neſcius multos à me eſſe prætermiſſos non minoris dignationis,

nis, imò vel majoris eruditionis aut nominis, quàm nonnulli eorum quos memoravi. Id non odio cujusquam, vel contemptu, non incuriâ; sed partim casu, partim de industria factum. Plurimorum, exterorum præsertim hujus ævi scriptorum, nomina nondum ad me pervenerant; aliorum non occurrunt quærenti memoriæ: quos utrosq; sive ignorãtiæ, sive oblivioni meæ veniam spero daturos. At eos haudquaquam nominandos censui, qui licet utriusque Juris egregiè periti, tamen aut sibi & musis canere, aut uni ætati, auditoribusque suis consulere contenti, lucubrationum suarum nihil hactenus ediderunt, quod posteris prodesse posset: qui, ubi quid proferent, nequaquam suo tempore silebuntur. Eos præterea hîc recensendos non putavi, qui nihil, aut pauca admodùm de Jure Civili scripsere; Pontificio magis delectati, quales ex Hispanis Didacus Covarruvias, Martinus Navarrus ab Azpilcueta; è nostris Joannes Quintinus, Franciscus Florens, Joannes Dartis, Amb. Gaufreus. Innoc. Cironius, aliique: quibus brevi spero accensendum Cl. v. Petrum Hallæum,

aliosque suo tempore Collegas nostros. Nec ii nominandi hoc loco visi sunt, qui Decisionibus seu Quæstionibus Forensibus ac Senatusconsultis congerendis, aut interpretandis dumtaxat Constitutionibus, Statutis, Consuetudinibus insudarunt. Priorum mentionem differendam in Prænotionum Canonicarum, sive Criticæ Ecclesiasticæ diffusius opus: quod dudum promissum, sub prælo esset, nisi jussus eorum, quibus quicquam denegare nec possum, nec debeo, me aliò traxisset. Verùm, ut affectum reverà est, non diù, juvante Deo, expectabitur. Posteriorum ideò non memini, quia ad proprium cujusque Gentis au Provinciæ, locive Jus pertinent: eoque nomine Galli Jurisconsulti suum in Manuductione ad Forum Gallicum invenient locum, si quando inchoatum hoc opusculum absolvere dabitur: ubi & de Juris tum communis, tum patrii Studio dicendum erit.

8. Cur illorum res atq; opera necnon recenseátur.

Horum, quos anteà memoravimus, natales, moresque describere, aut monumenta recensere, ingentis voluminis res esset, non brevis enchiridii, quale exarandum suscepimus. Quis enim aut

Antecessorum tot non modò Lecturas ac Repetitiones ; sed Recitationes, seu Titulorum & Legum enarrationes, tot Paratitla ; tot omnis generis Doctorum Observationes , Emendationes, Conjecturas , Disputationes , Enantiophanon seu Antinomiarum Libros ; Tractatus , Repertoria , Methodos , Tabulas sive Schemata percurrere nisi longo tempore valeat ? Quis singula cujusque opera ad judicii trutinam audeat revocare ? Quid si Judicum deinde atque Advocatorum Quæstiones, Decisiones, Consilia, Praxes essent adjungendæ ? Quis verò patriam , familiam, facta, fortunam cujusque cognoscere possit, & certò proferre? Id quidem non mediocri diligentiâ Fichardus, Zilettus, Freymonius , Forsterus , aliique tentarunt, & accuratiùs cæteris Panzirolus. Sed plura longè Auctorum Nomina , pluraque eorum etiam quorum illi meminere acta eruenda è tenebris supersunt. Hoc unum adjicere lubet, ex iis etiam , qui postremis seculis vixerunt , complures non solùm Senatorum, ac Præsidum, Episcoporum atque Archiepiscoporum , sed Cardinalium quoque meruisse dignitatem : ut

Hugonem Boncompagnum taceam *, qui ex Antecessore Bononiensi, ad Ecclesiæ Romanæ purpuram evectus, ad Pontificium tandem culmen desinente proximo seculo pervenit sub Gregorii XIII. nomine.

9. Justiniani institutum pauci Jurisconsulti sunt sequuti.

Id certè prætermittere non possum in immenso illo Interpretum numero paucissimos reperiri, qui in operibus suis consilium Justiniani sequuti fuerint. Sanxerat enim in utraque Constitutione de confirmatione Digestorum ad Senatum, Latinâ & Græcâ, sive L. 2. & 3. Cod. de vet. jure enucl. ne quis unquàm in leges à se congestas Commentarios scribere auderet: eo tantùm concesso, ut liceret eas in Græcam linguam transferre sub eodem verborum ordine, ita scilicet ut verbum verbo redderetur; itemque per Titulorum subtilitatem, indices quæ παράτιτλα nūcupantur quædam ad monitoria facere: districtè autem interdixerat omnem aliam interpretandi rationem: his addiderat ut in alterius generis operum autores, tanquàm falsi reos ageretur, jusseratque eorum volumina corrumpi ac penitùs aboleri. Attamen pauci, vel nulli potiùs, posterioribus præsertim tempori-

bus, inventi ſunt, qui id, quod per ipſum licebat, attigerint : omnes ad quævis per eumdem vetita commentandi genera decurrerunt.

Religioſiores cæteris invenio noſtros olim Gallos fuiſſe vertendis in patrium ſermonem libris Juris. Nam & Inſtitutionum tranſlationes veteres repeṙiuntur, autoribus Nicolao de l'Escut & Guidone de la Roche, (quarum meminit Verderius in Bibliotheca ſua) longè quidem infrà elegantiam, quâ Primum Inſtitutionum librum (ad reliquorum deſiderium) eximiâ paraphraſi illuſtravit vir omni, cultioris præſertim literaturæ genere, excellens Paulus Pelliſſonius Fontanerius libellorum ſupplicum Magiſter ; ſed ſenſui verbiſque ſtrictè inhærentes. Extant & trium poſteriorum Codicis Librorum ac Novellarum verſiones Gallicæ, regnante ut videtur Philippo Auguſto, conſcriptæ, itemque Feudorum Libri. Quas omnes uno volumine in membrana deſcriptas penes virum eruditiſſimum Ludovicum Nublæum eſſe teſtatur, ſæpe, nec tamen ſatis unquàm, laudatus Menagius Obſervationum in linguam Gallicam parte primâ cap. 3. Ejuſmodi exemplar

10. In vertendo in aliam linguam textu.

viderat sine dubio Cujacius, cùm Commentarios suos in postremos illos Codicis Libros ederet. Etenim in epistola nuncupatoria ad Margaritam Valesiam Ducem Sabaudiæ & Biturigum Commentariis eorumdem librorum præfixa, sic scribit: *veteres Franci, qui Principum suorum valdè amantes fuerunt, missis novem aliis Libris, hos tres dumtaxat Francos fecerunt.* Posteà tamen alios vidit, ut patet ex eo quod ab eo notatur obs. lib. XI. cap. II. ubi autoritate tum Basilicorum, tum Gallicæ versionis, correctionem confirmat à se annotatam ad L. dolum 6. Cod. de dolo, qua pro voce, *indiciis*, legendum docet, *insidiis*, cùm in Græco sit ἀπὸ ἐπιβουλῶν προσφαντασμάτων: in Gallico verò *par apers aguets.* Et sanè apud ante laudatos Nublæum, Menagium, aliosque plures sunt aliorum Codicis librorum partes in Gallicum vetus idioma transfusæ. Digestorum priscæ versionis nulla ad me notitia pervenit. Audio tamen in his nuper elaborasse virum eruditione atque ingenio, non minùs quàm natalibus conspicuum, cujus lucubrationem publici juris fieri optandum esset. Sed & versibus quo-

que Gallicis expressas Institutiones habet penes se vir cl. & eruditiss. D. Bigotus Rothomagensis. Latinam quoque versu exaratam earum translationem me aliàs legere memini: cujusmodi opus elegantissima paraphrasi tituli de rerum divisione & acquirendo earum dominio tentavit Hugo Grotius; utinam & in reliquis peregisset.

Paratitla quidem à multis, sed ea maximâ saltem ex parte, vereor ut ad Justiniani mentem composita sint. Siquidem ut post Leunclavium & Janum à Costa ex Matthæo Monacho demonstratum est Amœnitatum Juris Civilis cap. 5. Paratitla propriè sunt Titulorum, non explicationes, sed ex cæteris Titulis repletiones, id est, Indices Legum, quæ ex aliis titulis ad unumquemque Titulum qui exponitur subtiliter possunt revocari. 11. In Paratitlis.

Contestatus quoque fuerat idem Justinianus in Constitutionibus antè laudatis contrarias in libris suis Leges non inveniri, si quis subtili animo diversitatis rationes perpenderit: sed esse aliquid novum inventum vel occultè positum, quod dissonantiam dissolvit, aliamque naturam sive speciem 12. In Legibus conciliandis.

rerum inducit, ita ut diſcordia nulla remaneat : quòd ſcilicet Leges, quæ oppoſitæ videntur, ad diverſas referantur hypotheſes, mutatâ circumſtantià facti aliquâ. Magna tamen pars Juriſconſultorum in ejuſmodi Antinomiis anxiè inquirendis ita verſatur, ut nonniſi, aut per verborum immutationem, trajectionem, additionem, detractionem; aut per Juris veteris & novi, ſtricti & benigni; aut per diverſarum priſcos inter Juriſconſultos ſectarum diſtinctionem; aut etiam per Triboniani ab illis diſſenſionem, conciliandi viam quærant. Quorum duo poſtrema, etſi inſpecto initio, & rebus ipſis per ſe ſumptis, veritati aliquando conſentanea ſint; in eodem tamen volumine non per partes, ſed ſimul ab iiſdem Collectoribus edito admitti vix poſſunt, quaſi contrarietatem quæ priùs fortè inter autores olim interceſſerat, adhuc ſervent : etſi enim v. g. in alia ſententia fuerit hinc Julianus è Sabini ſchola, inde Celſus filius Proculeianus in L. 1. §. 1. D. de uſuf. accreſc. & in L. & Proculo 20. ff. de Legat. 2. non tamen eorum ſententiæ velut contrariæ in Digeſta


insertæ sunt, sed ut hujus quidem in facti certa specie, nempe in usufructu; illius vero in facto aliquantùm dissimili, in proprietate scilicet servo communi legata valeret : quæ differentia ex verbis subtiliter eruenda est. In conciliandis hac ratione Legibus neminem vidi aut legi feliciorem Francisco Marsio quondam Gordoni apud Cadurcos Proprætore, qui ejus rei specimen aliquod in libro Prætermissorum in publicum dedit, sed cujus scripta alia ejus generis apud me sũt de universa materia testamentaria omnium difficillima.

Ab eo hoc accepi Legum interpretandarum præceptum certissimum, quoties Florentina & Haloandri editiones cum vulgata sive Accursiana conveniunt, nihil sine temeritate mutari posse; alioqui carnificinam aiebat Legum esse, non interpretationem : Quòd si omnibus accuratè perpensis in concordiam adduci Leges aliquæ non posse videantur, nisi demptâ fortè uni, aut additâ negatione, aut aliter everso textu; honestius satiusque esse ignorantiam suam ingennè fateri, quàm pro arbitrio Legum conditorem agere: ac neglecto enarratoris officio, in Prin- 13. Conciliationis legum præcepta.

cipis munus invadere. Quâ in re ingenio ſuo audaciſſimè uſus eſt, ne dicam, abuſus Ant. Faber in libris Conjecturarum. At ſi inter ſe differrent editiones, aiebat eâ utendum, quæ commodior videretur. Et verò in una aut altera tantùm antinomia ſibi aquam hæſiſſe, homo candidus, ſi quis alius, & minimè vanus inter familiares aſſeverabat.

Aliud à Cl. Viro Dom. du Verger Anteceſſore Toloſano, cujus hodie munere haud diſpar filius egregiè fungitur, Legum ad concordiam revocandarum Præceptum jamdiu hauſeram, nimirùm ſi ex pluribus Legum ſingularum nodos ſolvēdi rationibus, quæ à Gloſſa indicantur, examini ſubjectis; eam, quæ Juris regulis atq; principiis maximè convenire videbitur ſeligamus. Deliteſcere quippe ferè ſemper, inter multa inutilia, veram ſolutionē: quam diſtinguere non cujuſvis ſit; ſed ejus qui in Jure maximè verſatus, ingenii acumine polleat.

Hactenus de Jure Romano, ejuſque ortu, progreſſu & conſummatione, ac Partibus in genere ſatis pro ſuſcepto opere diximus. Supereſt, ut ordinem Partium indicemus, facto ab Inſtitutionibus initio.



SERIES INSTITUTIONUM PER LIBROS ET TITULOS.

CAPUT X.

Summa divisio.

INSTITUTIONUM opus universum ad duo summa capita referri potest, JUS nempe ipsum in se spectatum; & Juris subjectam Materiam, sive (ut Scholastici loquuntur) Objecta circa quæ versatur. Hæc tria indicantur §. *ult. de Jure naturali, Gentium, & Civili*, scilicet PERSONÆ, RES & ACTIONES, quo referuntur judicia, quæ per actiones ferè exercentur, ut Jus executioni mandetur.

LIBER I. Tit. I. *De justitia & jure.*

De JURE in genere agitur primis duobus Titulis: quorum prior est de Juris fine & arte, Justitia nimirùm & Jurisprudentia, deque hujus summis & generalibus præceptis: alter de Juris privati partibus, Jure nimirùm Naturali, Gentium & Ci-

Tit. 2. *De jure Natur. Gent. & Civili.*

vili, atque hujus divisionibus.

Reliquo Libro primo tractatur de primo Juris subjecto, nempe de *Personis*, quarum duæ summæ divisiones afferuntur; prior deducta ex Jure Gentium. Titulo 3. in liberos homines & servos: adjectâ liberorum subdivisione in ingenuos & libertinos, qui per manumissionem liberi fiunt: quod tamen non semper procedit, præsertim propter Legem Æliam Sentiam; olim etiam propter Fusiam Caniniam.

Posterior Personarum divisio generalis, ex Jure Civili petita, quæ adducitur Tit. 8. est in eos, qui sui, & eos qui alieni juris sunt, id est in alterius potestate; sive dominica, ut servi; sive patriâ, ut filiifamiliàs: quæ Patria Potestas Nuptiis, Legitimatione aut Adoptione acquiritur: Solvitur autem morte, emancipatione, aliisque modis.

Jam earum Personarum, quæ in Potestate non sunt, sed sui juris & patres-familiàs, subdivisio proponitur Tit. 13. cujus divisionis membra ad finem usque libri explicantur. Earum itaque personarum quædam

in tutela.

DE PERSONIS.

Tit. 3. *De jure person.* ubi de servis.

Tit. 4. *De Ingenuis*

Tit. 5. *De Libertinis*

Tit 6. *Quibus ex causis manum. non licet.*

Tit. 7. *De lege Fus. Cani. tolle.*

Tit. 8. *De his qui sui vel alieni juris sunt;* ubi *de pot. dominorum in servos.*

Tit 9. *De Patria potestate.*

Tit. 10. *De Nupt.* ubi *& de Legitimat.*

Tit. 11. *De Adoptionib.*

Tit. 12. *Quib. mod. jus patr. pot. solvitur.*

in tutela ; quædam in curatione ſunt : aliæ neutro Jure tenentur.

Hac de cauſa primò de Tutela ac Tutoribus, tum de Curatione ſeorſim agit Juſtinianus ; ac deinde de iis permixtim quæ utrique generi communia ſunt.

Tit. 13. *De Tute. s.*

De Tutela docet quid ſit, & quotuplex, quis ejus effectus, quis finis. Ratione Conſtitutionis triplex eſt Tutela : Teſtamentaria primam ſpeciem conſtituit : ſecundam Legitima, ad quam referuntur præter Agnatorum Tutelam, quæ quâvis capitis diminutione perimitur, Patronorum etiam, Parentum, & fratrum integri Juris Tutela, quam Fiduciariam vocant. Tertio loco eſt Dativa, ex Legibus Attilia & aliis deſcendens.

Tit. 14. *Qui teſtam. tutor. dari poſſ.*
Tit. 15. *De legitima Agnat. tutela.*
Tit. 16. *De Capitis diminutione.*
Tit. 17. *De leg. Patr. tutela.*
Tit. 18. *De leg. Pare tutela.*
Tit. 19. *De fiduciaria tutela.*
Tit. 20. *De Att. tutore*

Effectus Tutelæ, præter defenſionem perſonæ pupilli, eſt rerum adminiſtratio, in qua eminet Autoritas pupillis contrahentibus à tutore præſtanda.

Tit. 21. *De autoritate tutorum.*

Finitur autem Tutela Pubertate Pupilli, atque aliis modis.

Tit. 22. *Quibus modis tutela finitur.*

Inde incipit Curatorum officium, quibus tria ſunt cum tutoribus com-

Tit. 23. *De Curator.*

munia, Satisdatio, Excusatio, & ob Suspecti crimen remotio.

Tit. 24. De satisdatione Tutorum vel Curatorum.

Tit. 25. De excusat. Tutorum vel Curatorum.

Tit. 26. De suspectis Tutor. vel Curator.

II. LIBRO transit imperator ad jus Rerum, quarum divisiones, quæ quidem ad jus pertinent, tit. 1. & 2. proponit. Deinde rationes tum Dominii acquirendi, tum contrahendarum Obligationum, per quas ad dominium quoque perveniri solet. Dominii acquirendi modos explicat ad tit. usque 14. Libri tertii, à quo titulo incipit Obligationum tractatio.

DE REBUS. LIBRI II. Titulus 1. De Rerum divisione, & acquirendo earum dominio.

Acquiritur autem dominium vel jure gentium, ut occupatione cæterisque modis primo titulo relatis; vel Jure Civili, quo acquiruntur tum res singulæ, tum res universales.

In acquisitione particulari spectantur res quæ acquiruntur, modi acquirendi, & personæ quæ acquirunt.

Tit. 2. De rebus corporalibus & incorporalibus.

Tit. 3. De servitutib. Prædiorum.

Tit. 4. De usufructu.

Tit. 5. De usu & habitatione.

Acquiruntur res non modò Corporales, sed etiam incorporales, in quarum numero sunt Servitutes tam reales sive prædiorum, quàm personales, ut ususfructus, usus & habitatio.

Modi acquirendi singulas res ex

Jure Civili sunt præsertim Usucapio, vel longi temporis præscriptio; itemque Donatio. Tit. 6. *De usucapionibus & longi temp. præscriptionibus.*

Quod ad personas attinet, requiritur ut acquiramus ab iis, quibus Alienare liceat; idque aut per nos ipsos, aut per alias Personas. Tit. 7. *De Donationib.* Tit. 8. *Quibus alien. licet, vel non.* Tit. 9. *Per quas Personas cuique acquiritur.*

Per Universitatem res Jure Civili acquiruntur quatuor modis, qui sunt hereditas, bonorum possessio, arrogatio, & bonorum addictio.

Hereditas autem alia defertur ex testamento, de qua est reliquus liber à tit. decimo; alia verò ab intestato, de qua initio libri tertii.

De Testamento quatuor explicantur, ejus forma seu ordinandi ratio; dissolutio qua inutile fit; effectus, & partes sive accidentia. In Ordinando Testamento spectantur præsertim personæ duæ, testatoris & heredis: alia enim solennia requiruntur ad testamenti substantiam in Pagano qui jure communi testatur; alia sufficiunt in eo qui testatur jure Militari. Præterea in ipsa testatoris persona exigitur generaliter, ut habeat testamenti factionem activam, cum non omnibus Permissum sit facere Tit. 10. *De Testamentis ordinandis.* Tit. 11. *De militari Testamento.* Tit. 12. *Quibus non est permissum facere Testamentū.*

testamentum. Speciatim quoque, si quis liberos habeat in potestate, ac suos heredes; ut valeat Testamentum, necessaria est eorum institutio, vel ritè facta Exheredatio.

Tit. 13. *De exheredat. liberorum.*

Tit. 14. *De heredibus instituendis.*

Heredes autem alii primo gradu Instituuntur, alii ulteriori gradu Substituuntur; idque aut Vulgari jure in 1. casum, non acquisitæ scilicet hereditatis; aut Pupillariter in 2. casum hereditatis etiam acquisitæ.

Tit. 15. *De vulgari substitutione.*

Tit. 16. *De pupillari substitutione.*

Tit. 17. *Quibus modis Testamenta infirmentur.*

Postquam actum est de Testamentis, deque heredum Institutione, quæ caput & fundamentum est Testamenti: videndum quibus modis Testamenta quæ initio constiterunt, utpote jure ordinata; infirmentur ex postfacto, sive ipso jure ante mortem Testatoris; sive postea officio Judicis, per Inofficiosi querelam.

Tit. 18. *De inofficioso Testamento.*

Tit. 19. *De Heredum qualitate & differentia.*

Hinc transit Justinianus ad effectus Testamenti, acquirendam scilicet Hereditatem: quod pro diversa Heredum qualitate variè fit.

Tit. 20. *De Legatis.*

Tit. 21. *De Ademptione Legatorum.*

Appendices Testamentorum sunt imprimis Legata; quæ semel relicta, nihilominùs Adimi, Transferrique possunt; sæpe etiam per Legem

Falcidiam minuuntur. Testamento quoque relinqui solent Fideicommissa: tum universalia, in quibus locum habet S. C. Trebellianum; tum Singularia. Codicilli, denique ex Testamento ferè vim capiunt.

Tit. 22. De Lege Falcidia.

Tit. 23. De Fideicommissariis, Hereditatibus, & ad Senatusconsultum Trebellianum.

Tit. 24. De singulis rebus per Fideicommissum. relictis.

Tit. 25. De Codicillis.

LIBER III. est de successione ab intestato, ac de reliquis modis acquirendi per universitatem, quæ pars adhuc ad dominium refertur. In eo deinde agitur de Obligationibus, quibus non statim res nostræ fiunt, sed incipiunt nobis deberi. Hereditas ab intestato aliter defertur quantùm ad Ingenuos, aliter quantùm ad Libertinos. Ingenuorum Successores in tres Ordines dividuntur: primus est Suorum Heredum & quasi Suorum, Liberorum nempe: Secundus Legitimorum, qui vel propriè Legitimi sunt, cùm per Legem 12. Tab. expressis verbis vocentur ad successionem, ut Agnati: vel pro Legitimis habentur, ut Mater in filii successione ex Senatusconsulto Tertylliano, & Filius in successione matris ex Orphitiano. Tertius ordo est Cognatorum, qui à Prætore ad Bonorum possessionẽ vocabantur.

LIBER III.

Tit. 1. De Hereditatibus quæ ab intestato deferuntur, ubi *de Suis & quasi Suis.*

Tit. 2. De Legitima Agnat. successi.

Tit. 3. De Senatusconsulto Tertyl.

Tit. 4. De Senatusconsulto Orphitiano.

Tit. 5. De Successione Cognatorum.

Tit. 6. *De Gradibus Cognatorum.*

Tit. 7. *De Servili Cognatione.*

Tit. 8. *De Successione Libertorum.*

Tit. 9. *De Assignatione Libertorum.*

Quoniam verò in Agnatorum & Cognatorum ordinibus proximior remotiori anteponi solet, ideò cognoscendi sunt Gradus Cognationis: cujus, etiam in servitute contractæ, hodie ratio habetur.

Successio autem Libertorum debetur ut plurimùm Patrono, ejusque liberis omnibus; nisi fortè Libertus uni ex Liberis assignatus fuerit à Patrono.

Tit. 10. *De Bonorum Possessionibus.*

Tit. 11. *De Acquisitione per Arrogationem.*

Tit. 12. *De eo cui libertatis causâ bona addicuntur.*

Tit. 13. *De Successionib. sublatis quæ fiebant per bonorum vendit. & ex Senatusconsulto Claudiano.*

Sequitur Secunda acquirendi per Universitatem rerum dominii species, quæ Bonorum Possessio dicitur; quâ scilicet heredis loco à Prætore habetur, qui stricto Jure Civili heres non est: Deinde tertia species Arrogatio, quâ Patrisfamilias adoptati bona Patri Adoptivo acquiruntur: & quarta nimirùm Bonorum Addictio, quæ vacante hereditate fit Libertatum conservandarum causâ. Fuere olim aliæ quoque species rerum per universitatem acquirendarum, ut solennis Bonorum Venditio, quæ in desuetudinem abiit; & bonorum mulieris servili amore bacchatæ, ex Senatusconsulto Claudiano, quod sustulit Justinianus.

Hinc veniendum est ad Obligationes, quibus, ut dixi, jus magis quàm rei dominium rectà acquiritur; ideoque Obligatio dicitur mater actionis. Tractatur ergo à titulo 14. hujus Tertii libri, quâ ratione & per quos constituantur Obligationes & quomodò amittantur.

Tit. 14. De Obligation.

Oritur Obligatio quatuor ex capitibus, ex Contractu, quasi contractu, Maleficio, & quasi maleficio: sed posteriora duo genera rejiciuntur in Librum quartum. Obligationum, quæ ex Contractu nascuntur quatuor sunt species, aliæ quippe Re; aliæ Verbis; aliæ Literis; aliæ solo Consensu perficiuntur. Primum ergo differitur de Contractibus qui Re perficiuntur, quales sunt Mutuum, Commodatum, Depositum & Pignus. Deinde verò de verborum Obligationibus, nimirum de Stipulationibus, tum Principalibus, tum Accessoriis tractatur; atque illarum natura & effectus exponuntur. Quod ad naturam sive substantiam attinet, disquiritur quomodò contrahantur, sive per unum, sive per plures stipulandi aut pro-

Tit. 15. Quibus modis Re contrahitur Obligatio.

Tit. 16. De verborum Obligationibus.

Tit. 17. De duobus reis stipulandi & promittendi.

mittendi Reos: nec tantùm per Liberos homines, sed etiam per Servos. Contrahitur prætereà stipulatio, vel conventione partium tantùm; vel autoritate quoque magistratus, aut judicis jussu: unde oritur Divisio Stipulationum. Effectus est, ut prout variè, deque diverversis rebus, aut à diversis personis interponitur, modò utilis sit, modò inutilis. Accessoria stipulationi est, quam Fidejussor contrahit firmandæ principalis obligationis causâ.

Tit. 18. De Stipulatione servorum. Tit. 19. De Divisione stipulationum. Tit. 20. De inutilibus stipulationibus. Tit. 21. De Fidejussoribus. Tit. 22. De Litterarum Obligationib. Tit. 23. De Obligationibus ex consensu. Tit. 24.

Sequitur obligatio quæ Literis sive scripto contrahitur. Et vetus quidem ac solennis Literarum Obligatio jamdiu obsolevit: sed locus est Chirographariæ.

De Emptione & Venditione. Tit. 25. De Locatione & Conductione. Tit. 26. De Societate. Tit. 27. De Mandato. Tit. 28. De Obligationibus quæ quasi ex contractu nascuntur. Tit. 29. Per quas Personas nobis obligatio acquiritur. Tit. 30. Quibus modis tollitur obligat.

Consensu constant Emptio Venditio, Locatio Conductio, Societas & Mandatum.

Subjiciuntur Obligationes, quæ ex quasi Contractu nascuntur: deinde traditur quatenus per alios nobis acquiri possit Obligatio; ac denique quibus modis Tollatur.

LIBER IV.

LIBER IV. ad duo summa Capita referri potest, Obligationes ex

Maleficio, vel quasi; & Actiones. Maleficiorum, sive privatorum delictorum species quatuor proponuntur, Furtum; Rapina, unde actio vi bonorum raptorum; Damnum injuriâ datum, quod Lege Aquiliâ vindicatur; & Injuria. His subjiciuntur species Obligationum, quæ ex quasi maleficio nascuntur.

Tit. 1. *De Obligationibus quæ ex delicto nascuntur:* ubi *de furto.*
Tit. 2. *De vi bonorum raptorum.*
Tit. 3. *De Lege Aquilia.*
Tit. 4. *De injuriis.*
Tit. 5. *De Obligationibus quæ quasi ex delicto nascuntur.*

Actiones in judicio exercentur, quod constat Actore, Reo, & Judice. Ideò in secunda hujus quarti Libri parte de eorum officio sive partibus disserit Justinianus. Actoris partes in Actione propriè dicta, & Interdicto impetrando versantur: Rei verò est Exceptionem proponere.

Hinc tractatur priùs de Actionis substantia, deque personis eorum qui actiones exercent, ac de actionum peremptione. Quia verò Actiones vel ex re aut facto nostro; vel ex eorum, qui in potestate nostra sunt, contractu aut delicto in nos dantur: idcircò postquam Actionis in genere natura exposita est, & actionum divisiones enucleatæ, docet Imperator quatenus detur actio

Tit. 6. De actionibus.

Tit. 7. *Quod cum eo qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicetur.*

Tit. 8. *De Noxalibus Actionibus.*

Tit. 9. *Si Quadrupes pauperiem fecisse dicatur.*

Tit. 10. *De iis per quos agere possumus.*

Tit. 11. *De Satisdationibus.*

Tit. 12. *De Perpetuis & Temporalibus Actionibus, & quæ ad Heredes, & in Heredes transeunt.*

Tit. 13. *De Exceptionibus.*

Tit. 14. *De Replicationibus.*

Tit. 15. *De Interdictis.*

ex negotio gesto cum eo qui in Aliena potestate sit; aut ex ejus fortè maleficio, quæ actionis species Noxalis appellatur; tum etiam, quod huic proximum est, quâ ratione competat actio in Dominum Quadrupedis, quæ pauperiem fecerit, sive nocuerit. Deinde ostenditur non solùm per nos ipsos, sed etiam per Alias personas exerceri posse à nobis actiones: quod tamen non facile sine Satisdatione procedit. Finiuntur, seu perimuntur quædam actiones breviori tempore; aliæ diutiùs durant: quapropter hæ Perpetuæ; illæ Temporales vocantur. Quædam Heredibus dantur, aut etiam in Heredes, aliæ verò minimè. Præterea elidumtur plerumque actiones oppositâ Exceptione, quæ & ipsa non raró inutilis redditur subjectâ per actorem Replicatione. Hæc omnia locum habent in Ordinariis Judiciis. Actionum species quædam sunt Interdicta, quibus Prætor causam Possessionis dubiæ interim disceptat.

Judicii exitus calumniatori, sive actori, sive reo, periculosus est,

cùm pœna temerè Litigantibus immineat, quæ res cum aliis ad Judicis Officium pertinet. Tit. 16. *De pœna temere Litigantium.* Tit. 17. *De Officio judicis.*

Totum opus claudunt Publica Judicia, quæ ſcilicet de Publicis criminibus extra ordinem exercentur. Tit. 18. *De Publicis judiciis.*

Rubricas INSTITUTIONUM juvandæ memoriæ causâ metro à me olim per luſum incluſas, hîc inſerere in juventutis ſtudioſæ gratiam viſum: quòd non modo Seriem ipſam Titulorum, ſed & rationem Ordinis, & cujuſque rei vim ac naturam non abſurdè indicare viderentur.

ORDO LIBRI PRIMI INSTITUTIONUM CARMINE EXPRESSUS.

JUſtitiam, *&* Jus naturæ, Perſona *ſequatur:* 1. 2. 3.
Ingenui, Libertini, (*horum nunc genus unum*). 4. 5.
At certa ſervos prohibent Manumittere cauſæ: 6.
Fuſia *ſed ſileat : tum* ſubſit Juri alieno 7. 8.
Cum ſervo Natus ; ſtringunt quem Patria jura, 9.
Connubio *genitum juſto, vel quem quis* Adoptat, 10. 11.

12. *Ni ratione aliquâ fuerit* resoluta Potestas.
13. *Jam suus impubes* Tutelæ *postulat usum*:
14. *Cui Tutor quivis* datur à testante *parente*;
15. 16. *Vel* Lege, Agnatos (Capitis *nisi fortè* minores)
17. 18. *Quæ vocat*; *adjiciens* Patronos, *atque* Parentes,
19 *Aut Fratres, Patris queis dat* Fiducia *nomen*:
Sæpe etiam, Attilia *Tutor sic* Lege *jubente*,
20. *A Prætore datur. Pupillo quilibet horum*
21. 22. Auctores *fiant. Sed habent Tutoria* Finem
23. 24. *Munera: succedit* Curator. *Utrique* Satisdant,
25. 26. *Vel sese* Excusant; *aut* Suspecti *removentur.*

ORDO LIBRI SECUNDI INSTITUTIONUM.

Nunc post jura Hominum, sequitur Divisio Rerum.
Quas tentat variis sibi quisque acquirere formis.
Corpora *seu fuerint, seu sint sine corpore Jura.*
Ut queis Urbana, & queis Rustica Prædia *subsunt*;
45 *Atque* Usufructusque, *ususque*, *&* Jus Habitandi.
6. Usu *res quæri certum est ac* tempore longo:
Gratuito & Domini nobis accedere Dono.
7.
8. *Quærimus abs illis tantùm* qui *jure* Alienant:

Perque

Perque illos *fermè, retinet quos nostra pote-stas.* 9.
Ex Testamentis *recto Legum Ordine factis* 10.
Scriptus, defuncti bona cuncta adipiscitur heres.
Ut vult testatur Miles *solennibus exsors.* 11.
Testandi at cuivis non est Permissa facul-*tas :* 12.
Exheres *patri natus, vel scribitor heres.* 13.
Prima etenim hîc cura est de Heredibus in-stituendis, 14.
Et primis alii sic vulgò Substituuntur, 15.
Heredes nisi erunt : Pupillo, *si sit & heres,* 16.
Postrema interdum Rumpuntur & Irrita fiunt
Judicia, *aut deserta manent cùm deficit Heres.* 17.
Vel contra Officium pietatis *scripta vacil-lant :* 18.
Sit Qualis *distingue, modis è pluribus*, He-res. 19.
Tum Legata *vide,* Translatane *sint vel a-dempta ;* 20. 21.
Lege *an* Falcidii, *ac tunc quatenus, immi-nuenda:* 22.
Commissa *heredis* Fidei *an successio tota,*
Aut Res *reddenda ; an quid scriptum* Codice *nudo.* 23. 24. 25.

Titvli Lib. III.

INtestatorum Heredes *decet esse propinquos:* 1.
In queis Natorum prima esto causa Suo-rum :
Hi si non extent, Agnatus *lege volente* 2.
Succedit ; *sed & adjectos per mutua jura,*

3. *Et Matrem Natumque vocant* Decreta Senatus

4. Tertullo Orphitioque *autoribus : Inde sequuntur*

5. *Quos Prætoris ope admittit* Cognatio *sola*,

6. *Pro quo quisque* Gradu *functis propiore ligatur.*

7. Servorum *ex aliqua hic prodest* Cognatio *parte :*

8. *Sic ut* Libertus *servet sua jura* Patrono,

9. *Aut natorum uni, si qua* Assignatio fiat.

Ast ubi civilis planè successio deerit,

10 *Tunc ex Edicto* Possessio *tota* Bonorum

11. *A Prætore datur. Siquis quemquam* Arroget, *ille*

In bona adoptati succedet jure paterno :

12. *Et* Libertatum, *si cuiquam* Addicta, favore,

Defuncti bona sint, heredis commoda sentit.

13. *Verùm ex usu abiere* Bonorum venditiones;

14. 15. 16 *Nec jam servili mulier sua perdit amore.*

Contrahimus Rebus, Verbis *solennibus, atque*

17. Scripturâ, *solo* Assensu *quandoque ligamur.*

18. *Unum vel* plures *verbis* Stipulatio nectit :

19. Servorum *quidvis Domino* stipulatio *quærit*

Divide, *non etenim* genus *est unum* stipulandi.

20. *Sæpe etiam tibi frustra &* inutiliter stipuleris :

21. *Sæpe* Fidejussor *promissa aliena capessit :*

22. 23. *Firmant* Scripta *fidem : soloque tenebere pacto*

24. 25. Si *quid* Vendideris; *si quid* Conduxeris; *aut si*

26. 27. *Te* dederis Socium; Mandatave *fidus amici*

Sumpseris explenda : & quasi Re contraxeris, *ex re* 28.
Stringeris. *At* Subjectorum *tibi* quærere facto 29.
Jura potes ; *variisq;* Modis *tua* Solvere vincla. 30.

Titvli Lib. IV.

PRætereà sua quosque ligant Delicta *nocentes* : 1.
Furtum igitur ; Res Rapta *reum* ; & *data Damna ligabunt*, 2.
Aquiliæ Legis *qua pœnis subjiciuntur*. 3.
His accensetur si cuiquam Injuria *fiat*. 4.
Et pro Delicto *culpa est*, *fraudis licet expers*. 5.
Persequitur Personarum ac Rerum ACTIO *Jura* : 6.
Atque Potestatis *titulo ex contractu aliorum*, 7.
Aut noxâ, *datur* ; & *nostra si fortè Animantes* 8.
Pauperiem *faciant*. Agere *at si quando vetaris*, 9.
Procuratoris *cautus gere* munere *litem* 10.
Quam per te nequeas : *plerumque* Satisdare *oportet*. 11.
Perpetua *haud tamen est*, *tibi qua datur*, Actio *quavis* : 12.
Tempore clauduntur quadam ; *quas nec capit heres*.
Quod petis, *elidat ne fortè* Exceptio ; *quodque* 13.
Excipis, *haud perimat* Replicatio *certa*, *caveto*, 14.
Interdicta *dabit Prætor*, *Possessio si qua* 15.
Disceptanda venit. Temerè qui Litigat, *illum* 16.

3. *Et Matrem Natumque vocant* Decreta Se-
natus
4. Tertullo Orphitioque *autoribus : Inde se-
quuntur*
5. *Quos Pratoris ope admittit* Cognatio *sola* ,
6. *Pro quo quisque* Gradu *functis propiore li-
gatur.*
7. Servorum *ex aliqua hic prodest* Cognatio
parte :
8. *Sic ut* Libertus *servet sua jura* Patrono ,
9. *Aut natorum uni, si qua* Assignatio fiat.
Ast ubi civilis plane successio deerit ,
10 *Tunc ex Edicto* Possessio *tota* Bonorum
11. *A Pratore datur. Siquis quemquam* Arroget,
ille
In bona adoptati succedet jure paterno :
12. *Et* Libertatum, *si cuiquam* Addicta , favore,
Defuncti bona sint , heredis commoda sentit.
13. *Verum ex usu abiere* Bonorum venditio-
nes ;
14. 15. 16 *Nec jam servili mulier sua perdit amore.*
Contrahimus Rebus , Verbis *solennibus, atque*
17. Scripturâ , *solo* Assensu *quandoque ligamur.*
18. *Unum vel* plures *verbis* Stipulatio nectit :
19. Servorum *quidvis Domino* stipulatio *quarit*
Divide , *non etenim* genus *est unum* stipu-
20. landi.
*Sape etiam tibi frustra & * inutiliter stipu-
leris :
21. *Sape* Fidejussor *promissa aliena capessit* :
22. 23. *Firmant* Scripta *fidem* : *soloque tenebere pa-
cto*
24. 25. Si *quid* Vendideris ; *si quid* Conduxeris ;
aut si
26. 27. *Te* dederis Socium; Mandatave *fidus amici*

Sumpseris. explenda : *&* quasi Re contraxeris, *ex re* 28.
Stringeris. *At* Subjectorum *tibi* quærere facto 29.
Jura potes; *variisq;* Modis *tua* Solvere vincla. 30.

TITULI LIB. IV.

PRaetereà *sua quosque ligant* Delicta *nocentes*: 1.
Furtum igitur; Res Rapta *reum* ; *& data Damna ligabunt*, 2.
Aquiliæ Legis *qua pœnis subjiciuntur*. 3.
His accensetur si cuiquam Injuria *fiat*. 4.
Et pro Delicto *culpa est*, *fraudis licet expers*. 5.
Persequitur Personarum ac Rerum ACTIO *Jura* : 6.
Atque Potestatis *titulo ex contractu aliorum*, 7.
Aut noxâ , *datur* ; *& nostra si fortè Animantes* 8.
Pauperiem *faciant*. Agere *at si quando vetaris*, 9.
Procuratoris *cautus gere* munere *litem* 10.
Quam per te nequeas : *plerumque* Satisdare *oportet*. 11.
Perpetua *haud tamen est* , *tibi qua datur*, Actio *quævis*: 12.
Tempore clauduntur quadam; *quas nec capit heres*.
Quod petis , *elidat ne fortè* Exceptio ; *quodque* 13.
Excipis, *haud perimat* Replicatio *certa*, *caveto*, 14.
Interdicta *dabit Prætor*, *Possessio si qua* 15.
Disceptanda venit. Temerè qui Litigat, *illum* 16.

17. *Pœna manet: proprio hic fungatur* Munere Judex.

28. Publica, *sed* propriis *tibi crimina sunt peragenda.*

Judiciis, *in queis alius servabitur ordo.*



SERIES

DIGESTORUM.

CAPUT XI.

1. Series Digestorum.

PANDECTARUM Series non aliunde meliùs hauriri potest, quàm ex ipsius Justiniani orationibus de Confirmatione Digestorum, in quibus tradit, quis ordo in Pandectarum Libris, Titulis, & Legibus servatus sit. Et primò in Partes Septem totum opus divisum fuisse docet, idque ob numeri Septenarii, ut videtur, præstantiam. In Quinquaginta deinde Libris, quibus omnis Legum disciplina comprehensa est, secutum se profitetur, tam Codicis (prioris scilicet) quàm Edicti perpetui Ordinem: nam & hujus imitatione compositum fuisse Codicem constat: quoad nempe, post sæpius invovata & adaucta Jura,

res ipſa pati videbatur. In Edicto autem condendo Julianus trium Juris Civilis Librorum à Sabino veteri Juriſcōſulto conſcriptorum veſtigiis magna ex parte inhæſerat, uti ex Commentariorum Pomponii, Ulpiani, & Pauli ad Sabinum fragmentis, quæ per hos Digeſtorum Libros ſparſa ſunt, eruitur; ſi quis illa cum eorumdem, aliorumque Juriſprudentum ad Edictum lucubrationibus, quæ ſuperſunt, contulerit. Hujus ordinis rationem ut non penitus negligendam, ità nec anxiè nimis indagandam arbitror; ſatiſque eſſe ſi cauſas ejus ſatis congruas aſſignemus, quantùm ad faciliùs addiſcendam & memoriæ mandandam Rubricarum Seriem ſufficiat.

Hæc Methodus tum ex ipſo Juſtiniano, tum ex Juris natura ſic videtur colligi poſſe. Univerſa Legum diſciplina, quemadmodum aliæ pleræque, tribus maximè partibus abſolvitur. Prima in Prolegomenis verſatur ſive προθεωρία, quæ ipſius ſcientiæ naturam explicat. Secunda & præcipua in [tr]adendis artis præceptis conſiſtit. [T]ertia, veluti Epilogus ſeu Anacepha- 2. Methodus. generalis.

læosis quædam, sparsam in anteriori parte doctrinam pauca in capita quodammodò colligit. In Secunda porro tractantur tria Juris subjecta, breviùs quidem Personæ ac Res; fusissimè verò Actiones, hoc est, agendi formulæ, earumque Materia. Agitur autem in Judiciis partim de jure privato, partim de publico; idque vel apud inferiorem Judicem in prima, ut vocant, instantia; vel apud superiorem in secunda. Agiturque aut ad rem pretiumque consequendum, aut ad persequendam criminis pœnam. Jam Civilis Judicii partes ad tria imprimis referuntur, ad judicium nempe aut præparandum, aut ordinandum, instruendumque, aut finiendum & exequendum. Constituitur autem judicium ex pluribus diversisque causis. Eæ ad genera tredecim videtur posse revocari. Primum est Dominium. 2. Damnum datum. 3. Communio ejusdem rei quæ ex ipsius natura absque pacto provenit. 4. Factum hominis citra conventionem, & citra damnum in corpore datum. 5. Res Creditæ, quo nomine Contractus plerique comprehenduntur, eorumque

adminicula, in quibus Probationes plerumque necessariæ sunt. 6. Nuptiæ. 7. Tutela & Cura. 8. Hereditas sive Successio tum Civilis, tum Prætoria; & tam Testamentaria quàm ab Intestato. 9. Damnum imminens. 10. Vectigalium conductio. 11. Donatio. 12. Causæ status. 13. Titulus Dominii vel Possessionis. His præmissis non ita difficile erit Partium & Librorum, imò & Titulorum sive Rubricarum ordinem investigare.

Prima itaque Digestorum Pars, quam Imperator Justinianus appellat τὰ Πρῶτα, Libris quatuor constat. 1. Pars. τὰ Πρῶτα

Libro primo breviter traditis Generalibus Juris principiis, ejus nempe fine ac divisionibus, tum Juris Civilis Origine ac speciebus per 4. Titulos, ac per totidem expositis iis quæ ad duo priora ipsius Juris subjecta, Personas & Res pertinent: ad III. subjectum transitus fit, Actiones nimirùm, per quas judicia exercentur. Deque Præparatoriis Judicii Civilis reliquo Libro 1. & duobus sequentibus agitur. Judicium constituunt Personæ, tum judicantium, sive Magistratuum; tum litigantium. Lib. 1

Posteriore igitur ejusdem Libri Primi parte, Magistratuum, tam Urbanorum ordinariorum & extraordinariorum, quàm Provincialium, cæterorumque, quorum ipsi operâ in reddendo jure utuntur, Assessorum nempe & Delegatorum officium explicatur à Titulo 9. ad 21.

Lib. 2. LIBER II. Jurisdictionem Magistratibus competentem, ejusque appendices enarrat tribus Titulis prioribus: & quia Judiciorum Præparatio duobus ferè generalibus articulis constat, Vocatione in jus, quâ reus trahitur ad Tribunal Judicis (cujus effectus Pacto nonnunquam aliisque de causis excluditur, aut differtur) & Litis Contestatione: idcircò adjiciuntur quæ spectant ad Edictum de in Jus Vocando, & officio in Jus vocati, à Titulo quarto ad decimum; quò refertur incumbens Actori Editio Actionis atque Instrumentorum; itemque causæ quibus excusatur quis ne judicio sistat; in quibus Feriæ, Dilationes; Pacta etiam vel Transactiones, de quibus ad Titulum usque decimum quintum.

Lib. 3. LIBER III. Titulis sex, persequi-

tur quæ ſpectant ad Litis Conteſtationem ; & Perſonas pro ſe, vel pro aliis Poſtulantes, quales ſunt Advocati; vel nomine Partium litem perſequentes aut defendentes, nimirùm Procuratores, Syndici, Negotiorum geſtores ; à quibus omnibus abeſſe debet Calumnia.

LIBRO IV. agitur de Cauſis & litibus ex quibus ſæpe ante Judicium aditur Magiſtratus, nempe de Reſtitutionibus in integrum, ob Metum, Dolum, Minorem ætatem, Alienationem Judicii mutandi causâ factam, aliaque, quæ in limine litis peti ſolent: De Reſtitutione item rerum Receptarum, quæ ſi fiat, lis finita eſt ; deque Arbitris compromiſſariis, qui arbitrium receperunt ; quorum etiam operâ terminantur plerumque controverſiæ, nec ultrà progrediuntur : quæ cuncta novem Titulis exponit Juſtinianus. Lib. 4.

SECUNDA PARS *de Judiciis* inſcribitur à primo, ut videtur, Titulo ; conſtatque ſeptem Libris à Quinto ad Undecimum. Exponit autem Actiones in rem. Cùm enim Actiones inſtituantur maximè ad Dominium, aut ad poſſeſſionem : & Dominium II. PARS. de Judiciis.

aliud ſit Rerum, aliud Perſonarum. Res autem partim noſtræ, partim nobis debitæ; & vel profanæ ſint, vel religioſæ; Profanæ quoque aliæ univerſales, aliæ ſingulares, tum corporales, tum incorporales: in hac Secunda Parte de iis Actionibus diſſeritur, quarum causâ præſtantior & antiquior, in quibus Dominium, vel quaſi Dominium, & Jus in re aut in rem vertitur: quibus ſcilicet res noſtras vel quaſi noſtras vindicamus.

Lib. 5. LIBER V. (qui *de Judiciis* eſt primus) ſex Titulos continet; ac poſt generalem tractatum de conſtituendo ſeu ordinando Judicio, eas Actiones in rem explicat, quæ ad Dominium univerſale, Hereditatem nempe vindicandam referuntur. Poſſumus autem hereditatem perſequi vel per querelam Inofficioſi Teſtamenti, quotïes ei locus eſt; vel Petitione Hereditatis, ſive totius, ſive pro parte; idque aut Directa, aut Poſſeſſoria, aut Fideicommiſſaria petitione.

Lib. 6. LIBRO VI. (*de Judiciis* ſecundo) agitur de Dominio rei ſingularis corporeæ vindicando. Is habet tres tantùm Titulos, de Rei vindicatione, quæ

ſit à Domino; de ea quæ bonæ fidei poſſeſſori; deque ea quæ Emphyteutæ conceditur.

LIBRO VII. (*de Judiciis* Tertio) diſſeritur de Dominio ſeu Vindicatione rei Incorporalis: ac primùm de Uſufructu: idque ſeptem Titulis. Petitur quippe Uſusfructus propriè dictus jure fructuarii, cui aliquando Accreſcit alterius portio: ſed ut petatur, Ceſſerit oportet ejus dies: nec amiſſus fuerit Uſusfructus. Petitur præterea quaſi Uſusfructus: nec tantùm petitur, ſed etiam negatur Uſusfructus ad alium pertinere. Agitur item de Operis ſervorum, Uſu, & Habitatione. Lib. 7.

LIBER VIII. (quartus *de Judiciis*) tractat de Servitutibus Realibus, ſive Prædiorum, tum Urbanorum, tum Ruſticorum; qui cùm in Jure conſiſtant, res quoque incorporales ſunt. His communes ſunt actiones & modi eas amittendi. Conſtat Liber Titulis ſex. Lib. 8.

LIBRO IX. (*de Judiciis* Quinto) exponuntur actiones in Perſonam, quibus res noſtras defendimus, & damnum nobis datum vindicare ſeu ulciſci conamur adverſus eum qui Lib. 9.

nocuit. Si homo liber ſit, qui per ſe vel per domeſticos damnum dederit; datur tunc actio Legis Aquiliæ; aut ſi effuſum quid aut projectum ſit è domo, actio de Dejectis & effuſis. Ex facto ſervi eſt actio Noxalis in Dominum. Ex damno dato à Quadrupede, ſi Quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. Huc ſpectant Tituli quatuor.

Lib. 10. LIBER X. (*de Judiciis* ſextus) eſt de tribus mixtis ſeu duplicibus actionibus, quæ partim in rem, partim in perſonam ſunt, rei communis dividendæ causâ: ad diſtinctionem ſcilicet Finium inter vicinos, ad Diviſionem rerum hereditariarum inter coheredes; & rerum ſingularium, quæ pluribus Communes ſunt citra ſocietatem & hereditatem: itemque de re noſtra Exhibenda, quæ actio ad vindicationem aditum parat. Complectitur hic Liber Quatuor Titulos.

Lib. 11. LIBRO XI. (qui eſt ſeptimus *de Judiciis*) actionum in rem, quæ ſuperioribus Libris expoſitæ ſunt, appendices quædam Titulis ſex ſubjiciuntur: mixtæ ſcilicet actiones ex nudo hominis facto citra damnum in corpus

corpus datum competentes: Quod factum vel eſt legitimum & judiciale, nempe Interrogatio in Jure; Petitio ejuſdem rei, ex qua fit ut, ne cauſæ continentia dividatur, ad eumdem Judicem eundum ſit: vel extrajudiciale idque aut illegitimum eſt, ut ſervi corruptio; alea; fugitivi receptio; Menſoriſve falſa renunciatio: aut culpâ vacans, ut Religioſum atque ad Funus uertinens: quo refertur factum ejus qui non ſine culpa mortuum, quò Jus eſt inferri, aut ſepulcrum ædificari prohibet.

Sequitur TERTIA PARS *de Rebus* inſcripta, quòd *de Rebus* creditis agat, quæ ſcilicet nobis debentur. Nam generali crediti nomine Contractus intelliguntur, quibus alienam ſequimur fidem. Complectitur hæc Pars actiones in perſonam, quæ deſcendunt ex Contractibus tum nominatis, tum innominatis; ſive ex obligationibus, quæ re, aut facto, quæque conſenſu perficiuntur. Continet Libros octo à XII. ad XIX. III. PARS *De Rebus (creditis)* à Libro XII. ad XIX.

LIBRO XII. (hujus Partis Primo) explanat Juſtinianus Titulis ſeptem, Mutuum ac promutuum, & Condictiones alias, præſertim certi, Lib. XII.

quæ ex variis causis dantur, in quibus maximè utilitas accipientis versatur. Mutuum, primum genus est Contractuum qui re perficiuntur. Sequuntur aliæ causæ, quæ species quædam quasi Contractuum habentur, in quibus Jusjurandum numeratur, quod & ipsum species crediti est: habetque maximè locum in Mutuo. Condicitur etiam certum ex dato ob causam honestam, eâ non secutâ; aut ob causam turpem soli accipienti: aut ex indebito soluto: vel ex dato sine causa.

Lib. XIII. LIBER XIII. (qui est Secundus *de Rebus* & Septem Titulis constat,) tractantur aliæ certi, aut incerti condictiones, nimirùm Furtiva; quæ dicitur ex Lege; Triticiaria ; ejus quod certo loco dari debuit, & alibi petitur: quibus adjungitur actio de Pecunia Constituta, sive de quavis re pro se vel pro alio promissa. Sequuntur actiones ex contractibus duob. qui re perficiuntur, Commodati, ac Pigneratitia.

Lib. XIV. LIBRO XIV. (*de Rebus* III.) continet Actiones quæ ex Credito quoque manant; sed ex Contractu alterius, qui negotium nostrum gessit, sive in po-

testate nostra sit, sive non, ex æquitate in nos dantur. In his enim negotiis alius per alium obligatur; veluti Exercitor navis per Magistrum; Convector, ex Lege Rhodia, per eos qui simul vehuntur; Negotiator per Institorem; Pater & Dominus per eos quos habent in potestate: exceptâ causâ Senatusconsulti Macedoniani. Sex sunt Tituli hujus Libri.

Liber XV. (*de Rebus* Quartus) per quatuor Titulos complectitur appendicem Superioris, nimirùm actiones, quæ non directè, sed cum adjuncto, ex negotio eorum, quos in potestate habemus, in nos competunt; Quarum prima est *de Peculio*. Secunda *de in Rem verso*. Tertia *Quod Jussu*. Lib. xv.

Liber XVI. (*de Rebus* Quintus) est etiam appendix ejusdem Libri XIV. In eo differitur de actione deneganda ex Senatusconsulto Velleiano adversus mulierem, quæ pro alio intercessit: tum actione imminuenda ex causa Compensationis: ac denique de quarta specie Contractuum, qui re perficiuntur, Deposito nempe, quod ad unius tantùm cōmodum refertur. Quæ tria Capita totidem Titulis tractantur. Lib. xvi.

Lib. XVII. LIBRO XVII. (*de Rebus* Sexto) transit Imperator ad actiones ex Contractibus; qui nudo consensu perficiuntur; quorum duas species duobus Titulis explicat, *Mandatum*, & *Societatem*.

Lib. XVIII LIBER XVIII (qui *de Rebus* Septimus est) eorumdem Contractuum tertiam speciem prosequitur, Emptionem-Venditionem: Quæ plerumque certis Pactionibus additis contrahitur; inter quas sunt Addictio in diem, & Lex Commissoria. Venduntur autem non res tantùm corporales, sed incorporales quoque, veluti hereditas vel actio: & Venditio perfecta nonnunquàm certis de causis rescinditur ac revocatur. Regulariter Periculum & Commodum rei venditæ statim perfectâ Venditione ad Emptorem transit. In Servorum Venditione quædam adjiciebantur conditiones speciales, veluti ut extra Provinciam deportarentur, aut ut manumitterentur, vel contrà. Quæ omnia Titulis Septemdecim continentur.

Lib. XIX. LIBRO XIX. (*de Rebus* octavo) post actionem ex Empto descendentem, de Locatione-Conductione, quar-

tâ eorumdem Contractuum specie: deque Æstimatoria & Permutatione differit, quæ affinitatem habent cum Emptione: subjiciuntur his actiones Præscriptis verbis, quæ ex Contractibus innominantis dantur. Hæc Titulis quinque absolvuntur.

Postquàm ea tradidit Justinianus, quæ ex Obligationibus & Contractibus Realibus privati Juris, nobis dantur; eorum Contractuum accessiones quasdam exponit: deinde transgreditur ad actiones quæ dantur ex Matrimonio, Contractu scilicet Personali; & ex Tutela & Curatione, quæ sunt quasi Contractus, & publicam quodammodò causam respiciunt: Hæc in Quarta Parte continentur, quam Justinianus Umbilicum appellat, quod medium in Pandectis obtineat locum. Comprehendit octo Libros à vigesimo ad vigesimum septimum. IV. PAR. seu Umbilicus *de Pignoribus & Hypothecis.*

LIBRO XX. (qui in hac Parte, & inter Libros qui ab autore Singulares dicuntur primus numeratur) proponuntur adminicula rerum creditarum, quasi superiorum tractationum appendices, quæ hûc idcirco rejectæ sunt, ne in immensum Pars Tertia excresce- Lib. XX.

ret. Differitur ergo hîc Titulis sex *de Pignoribus* & *Hypothecis*, quæ plerumque Mutuo aliisque Contractibus accedunt, ut securitati Creditorum consulatur. Pignus autem vel expressè vel Tacitè contrahitur; nec tamen in omnibus rebus locum habet: sunt enim quædam quæ Pignori obligari non possunt. Ejus duo imprimis sunt effectus, Jus nimirùm Prælationis, & Distractio seu Facultas vendendæ rei Pignori obligatæ; quæ obligatio pluribus modis Solvitur.

Lib. xxi. LIBRO XXI. (Umbilici hujus & singularium Secundo) explanantur tribus Titulis actiones, quæ Emptionem quasi ministræ consequi solent; quæ nimirùm ex Ædilium Edicto, vel Evictionis causâ dantur. Quibus adjicitur Exceptio rei venditæ & traditæ.

Lib. xxii. LIBER XXII. (ejusdem Partis, & singularium Tertius) absolvitur sex Titulis, quorum Primi duo sunt de Usuris. Et in Primo quidem agitur de Usuris terrestribus, & Fructibus, cæterisque rerum accessionibus, quæ in actionem in rem plerumque veniunt 2. de Nauticis Usuris. Reliqui Tituli

ſunt de Probationibus & Præſumptionibus, quibus debiti fides adſtruitur; idq; tam in genere, quàm in ſpecie de probatione quæ per Inſtrumenta: deque ea quæ per Teſtes fit: prætereà de Ignorantia Juris, quæ rarò; & facti, quæ ſæpe contrahentibus excuſationem præbet.

LIBER XXIII. (hujuſce Partis & ſingularium Quartus) Titulos quinque complectens, eſt de Contractu Perſonali, quo duæ ſcilicet perſonæ ſeipſas invicem in Matrimonium obligant. Et primò quidem de Sponſalibus, quæ ferè Nuptias præcedunt: dein verò de ipſis Nuptiis, ac Ritu earum contrahendarum; deque contractarum effectu circa Dotem: tam generaliter quantùm ad Jus ipſum Dotis in univerſum: quam ſpecialiter quantùm ad Pacta Dotalia & Fundum dotalem. Lib. XXIII

LIBER XXIV. (qui eſt hujus Partis & ſingularium Quintus) Titulis tribus, contractarum Nuptiarum primò effectum examinat in Donationibus inter Conjuges factis; poſteà Diſſolvendarum modos: ac ſoluto Matrimonio Dotis reſtitutionem. Lib. XXIV

LIBER XXV. (ſingularium & hu-

jus Partis sextus) tractat Titulis sex, ea, quæ dissolutas Nuptias sequuntur; retentionem Impensarum à marito in res Dotales factarum nomine; actionem rerum ab altero Conjugum divertendi animo Amotarum; officium parentum in Agnoscendis & exhibendis Liberis jam editis, aliisque necessariis Personis: Jus custodiendæ mulieris, quæ se prægnantem ex marito vel negat, vel affirmat; Missionem in possessionem bonorum mariti ventris nomine; & coërcendum ea in re mulieris dolum: adjicitur ultimo loco alia species Contractus personalis, nempe concubinatus.

Lib. XXVI. Libro XXVI. (hujus Partis & singularium septimo) qui constat decem Titulis, incipit tractatio actionum ex quasi Contractu descendentium: & primò disceptatur de Tutela constituenda in genere, ejusque tribus speciebus, Testamentariâ (quæ nonnunquam licèt ex testantis voluntate robur propriè non habeat, valet tamen ex Magistratus Confirmatione) Legitimâ, & Dativâ. Deinde agitur de officio Tutorum & Curatorum, tam in Administratione, quàm in Au-

toritate præstanda: Et quatenus posteà ex facto eorum pupilli aut minores teneantur: denique de Tutela per Suspecti Tutoris remotionem dissolvenda.

LIBRO autem XXVII. (qui hujus Partis & singularium octavus est) decem Titulis agitur, post causas, propter quas Excusantur Tutores & Curatores; de Pupilli educatione & alimentis; deque officio Judicis circa actiones, quæ post finitam Tutelam & Curationem Pupillo vel Adulto in Tutorem aut Curatorem, & contrà dantur; quæ in iis quoque, qui quasi Tutores vel Curatores administrarunt, locum habet. Sed Rebus à falso Tutore gestis, Restitutio datur iis, qui eo autore cum Pupillo contraxerunt: datur & actio adversus falsum Tutorem. Ipsis autem Pupillis & Minoribus non tantùm adversus Tutores & Curatores actio datur, sed & adversus eorum Fidejussores & Nominatores, eorumque heredes: quin etiam adversus Magistratus Municipales. Ne verò Pupilli & Minores rebus suis spolientur, non debent eorum prædia sine decreto Magistratus alienari aut pignori obligari. Denique Libro XXVII.

Curatores non solùm Minoribus, sed extra ordinem etiam Majoribus, qui rebus suis ipsi superesse non possunt, Furiosis putà & prodigis dantur.

V. PARS *De Testamentis.*

QUINTA PARS *de Testamentis* dicta per Libros novem à 28. ad 36. agit de universo Jure Civilis ex Testamento Successionis, ejusque appendicibus.

Libro XXVIII.

In ea spectantur primò subjectum & forma Testamenti, de qua Libro 28. agitur Titulis octo (qui in hac Parte Primus, inter Libros singulares nonus est). Ut enim valeat Testamentum requiritur primò ut is Testamentum fecerit, qui jure testari potuerit; 2. ut solemni ritu factum sit Testamentum; 3. ut Testator liberos, si quos in potestate habet, vel habiturum se sperat, nominatim vel instituat, vel exheredet; 4. ut Testamentum neque ab initio injustum, neque posteà ruptum aut irritum factum sit; 5. Videndum, ne in Testamento inductum vel deletum quid mutatam indicet Testatoris voluntatem; 6. An heres aliquis ex Testamento existat, sive institutus, sive vulgariter aut pupillariter substitutus. 7. Utrum conditio Institutioni vel Substitutioni adjecta

extiterit : denique an tempus heredi datum ad deliberandum effluxerit.

Liber XXIX. (in hac Parte Secundus, & inter singulares Decimus) est appendix superioris, qui de hereditate, deq; heredum coërcendis fraudibur per septem Titulos disputat. Et primò de Militum in condendo Testamento privilegiis, quibus forma solennis remittitur. Hinc transit ad Testamentorum effectus vel appendices. Hereditas delata Testamento, acquiritur voluntate heredis vel omittitur. Sed ne quid fraudis interveniat, quatuor remedia Legibus prodita sunt. Primò, ut statim à morte Testatoris. solenniter aperiantur Testamenta 2. ut, si legitimus heres Testamento institutus, omissâ causâ Testamenti, ab intestato hereditatem possideat, Legatariis nihilominùs dentur in eum actiones. 3. Si occiso Testatore, ante quæstionem de Servis habitam & supplicium de noxiis sumptum, hereditatem quis adierit; ea illi ex Senatusconsulto Syllaniano & Claudiano aufertur; quemadmodùm & si quis defunctum testari coëgerit, vel prohibuerit. Hereditas autem licèt Testamento tan- Lib. XXIX

tùm detur, tamen Legata & Fideicommissa, de quibus in sequentibus, non solùm Testamento, sed etiam Codicillis relinquuntur.

Sequitur Tractatus *de Legatis & Fideicommissis singularibus* in genere, in tres Libros, Caii Jurisconsulti exemplo, propter materiæ ubertatem, divisus à Triboniano, quòrum singuli unico Titulo constant.

Itaque LIBER 30. est de Legatis Primus. LIBER 31. de Legatis Secundus. Et LIBER 32. de Legatis 3.

Libri 30. 31. & 32.

LIBRO 33. (qui sexto loco in hac Parte habetur; & inter singulares decimus quartus) discutiuntur decem Titulis, Legatorum singulatium varia genera, quæ partim ex rei Legatæ natura interpretationem accipiunt, ut anniversaria Legata: tum Legata Ususfructûs, alteriusve servitutis; item Dotis, Optionis, vel Electionis: partim ex usu & proprietate verborum, aut consuetudine Testatoris, ut Legata Tritici, Vini, aut Olei; Legatum fundi instructi, aut instrumenti; Legata Peculii, Penûs, Supellectilis.

Lib. 33.

LIBRO 34. (inter Singulares 15. &

Lib. 34.

& hujus Partis ſeptimo) *de Legatis* quoque ſingularibus, eorumque vitiis aliquot, diſſeritur novem Titulis. Horum Legatorum quædam interpretationem recipiunt ex favore ſolo rei legatæ, ut legata alimenta vel cibaria : quædam ex circumſtantiarum varietate, ut Legatum auri vel argenti &c. itemque liberationis. Legatis autem accedunt vitia ſive accidentia quædam. 1. Ademptio vel Tranſlatio. 2. Ambiguitas. 3. Inutilitas, ſi quid pœnæ nomine relictum eſſet; aut aliàs ab initio non valeret, unde tractu temporis convaleſcere non poſſet. Quædam vitia efficiunt 4. ut Legata pro non ſcriptis habeantur. 5. Ut auferantur Legatariis velut indignis.

LIBRO 35. (inter Teſtamentarios 8. & ſingularium 16.) per Titulos tres diſſeritur de duobus aliis Legatorum adjunctis, nempe de Conditionibus, quibus ſuſpenduntur, iiſque deficientibus & ipſa deficiunt ; deque modo per Leges eis impoſito, quem ſupergreſſa diminuuntur per Legem Falcidiam, ità ut nonniſi reſtituendi cautione interpoſitâ ſolvi debeant. Lib. 35.

Lib. 36. LIBER 36. (hujus Partis nonus, singularium 17. & ultimus) quatuor Titulis agit de *Fideicommissis* universalibus, ad quæ pertinet Senatusconsultum Trebellianum; deque iis, quæ Legatis & Fideicommissis communia sunt: nimirùm *de die* quo quæque cedunt; *de cautione* eorum nomine præstanda ab herede, quoties eorum solutio sive præstatio differtur: alioqui Legatarii & Fideicommissarii in rerum hereditariarum possessionem custodiæ causâ mittuntur.

VI. PARS. *De bonorum Possessionibus.* Exposito in QUINTA PARTE Jure Testamentorum, reliqua Successionum jura, & acquirendi ac tuendi Dominii modos complexus est in SEXTA PARTE Justinianus, quæ à Bonorum Possessionibus nomen accepit; complectiturque octo Libros à 37. ad 44.

Lib. 37. Et quidem Libro 37. (qui hujus Partis est Primus,) explicantur quindecim Titulis Successiones Prætoriæ seu Bonorum Possessiones, tum in genere; tum illæ specialiter, quæ Tabulis Testamenti extantibus dantur, etiam furiosis & infantibus. Earum quædam ordinariæ sunt, aliæ ex-

traordinariæ. Ordinariarum Prima est, quæ contra Tabulas datur Liberis & Postumis suis, emancipatis, & adoptivis; sive præteritis.; sive aliter quàm oportet exheredatis: ejusque triplex effectus affertur. Primò ut eâ petitâ ab emancipatis, nihilominùs præstentur necessariis personis Legata testamento relicta. 2. Ut conferantur suis, quæ ab emancipatis ante mortem parentis communis acquisita fuerunt, etiam dos à sorore. 3. Ut cum filio emancipato in unam partem concurrant nepotes ex eo, ab avo retenti in potestate. Ejus successionis nomine & venter, i. mulier ex quo Postumus speratur; veluti si is jam natus esset, in possessionem bonorum defuncti mittitur; ut & pupillus, cui statûs controversia movetur, quæ eo casu differtur ad tempus pubertatis ex Carboniano Edicto. II. Bonorum Possessio est quæ secundum Tabulas heredibus scriptis datur. Utraque Parenti emancipatori competit, & Patrono, quorum utrique obsequia debentur à Manumissis.

LIBRO 38. (*De Bonorum Possessionibus* secundo) qui Titulis septem- Lib. 38.

decim constat, agitur de reliquis Juris Patronatus effectibus: deque Bonorum Possessionibus ab intestato, & Legitimis successionibus. Ad Jus Patronatus pertinēt Operæ Libertorum, eorumque Bona sive successio, quæ competit tum ipsis Patronis, etiamsi sint Universitates, id est, Collegia, Municipia; tum filiis Patronorum, sive omnibus, sive ei, cui Assignatus est unusquisque Libertus: qui si quid in fraudem legitimæ Patrono debitæ alienaverit, id Patronus revocare potest. Inter Bonorum Possessiones ab intestato primum locum obtinet, quæ *unde Liberi* dicitur. 2. *Unde Legitimi*, id est, Agnati: Tertium, *Unde Cognati*: in quibus cessante vel deficiente primo gradu, reliquis ejusdem ordinis; priore ordine exhausto, posteriori locus fit ex Edicto, quod idcirco *Successorium* appellatur: unde fit ut necessaria sit graduum Cognationis notitia. Sed & deficientibus Liberis, Agnatis, & Cognatis, Prætor Virum & uxorem ad alterutrius intestati successionem mutuò vocat. Denique vocatur fiscus, nisi ex militari privilegio excludatur à successione damnâ-

torum: aliquando ipſe fiſcus heredes excludit ob indignitatem. Extra ordinem datur quibuſdam Bonorum poſſeſſio ex certis Senatuſconſultis aut Legibus: & in omnibus Bonorum Poſſeſſionibus certus Ordo ſervari debet. Jam legitima ſucceſſio vel Lege defertur, ut liberis in poteſtate conſtitutis, & poſt hos Agnatis ex Lege duodecim Tabularum: vel Senatuſconſulto, ut ex Tertulliano & Orphitiano matri & filio invicem.

LIBRO 39. (Hujus Partis tertio) alii actionum ſeu cõtroverſiarum fontes indicantur Titulis ſex; Damnum imminens, Vectigalium conductio & Donatio, qui maximè naturalis eſt rerum ſingularum voluntate Domini acquirendarum modus. Damnum impendet alteri, vel à Novo alterius opere, vel à ruina vicini ædificii, vel ab Aqua pluvia, quæ mutatâ operis facie nocere poteſt. Quæ omnia damni genera ad res noſtras conſervandas avertere noſtrâ intereſt. Ex publicorum cõductione dari poteſt actio tam in Publicanos ſeu Vectigalium Redemptores, ſi quid ultra modum præſcriptum exegerint; quàm in Ne- Lib. 39.

gotiatores, si merces suas Vectigali obnoxias non profiteantur. Ex Donationibus quoque sive inter vivos, sive mortis causâ datur actio.

Lib. 40. LIBER 40. (Hujus Partis Quartus) Sedecim Titulos habet de Statûs controversiis & præjudicialibus causis: ubi disceptatur imprimìs de servitute aut Libertate; itemque de Ingenuitate aut Libertinitate. Ad statum Libertinitatis spectat Tractatus *de Manumissionibus* in genere, ejusque speciebus; Vindictâ, quâ servi quoque Universitatum manumittebantur: Testamento, quæ vel directò fit, vel per Fideicommissum, & mutatâ voluntate defuncti cessat; adjectâ verò conditione in suspenso manet: aliquando sequutâ manumissione non valet. Qui jure manumissi sunt, Libertinæ conditionis fiunt, nisi Jus aureorum annulorum impertraverint, aut natalibus fuerint restituti. De Libertate agitur liberali causâ, ut si quis à servitute ad libertatem proclamaverit, quod utique non semper licet. Sed quæritur nonnumquàm an ingenuus quis, an Libertinus sit: verùm hæ posteriores controversiæ

post quinquennium à morte defuncti in deteriorem causam non agitantur. Reo vivo, si quæratur per Collusionem, hæc à quovis detegi potest.

Libro 41. (qui in hac Parte Quintus est) enarrantur causæ Dominii & Possessionis per decem Titulos: ac primò traduntur acquirendi dominii generales ex Jure gentium modi: deinde acquirendæ vel amittendæ Possessionis, cujus effectus præcipuus est Usucapio rei possessæ, nisi usurpata fuerit. Usucapionis autem causæ sunt, vel onerosæ, ut ex empto; vel lucrativæ, ut ex hereditate, aut ex ipsa possessione, ex Donatione, ex re pro derelicto habita, ex Legato; vel mixtæ, ut ex dote. Lib. 41.

Quoniam verò cujusque judicii finis est, ejus quod æquum videtur declaratio & executio: idcircò post Judicia, Judiciorumque materiam & controversiarum genera, progreditur Justinianus ad sententiam & rem judicatam jure ordinario ad exitum perducendam; de quibus agit Libro 42. (in hac Parte Sexto) cujus octo sunt Tituli. Et primò quidem disserit de re judicatâ & effectu Sententiæ, cui Lib. 42.

non absimiles sunt effectus Confessionis, Cessionis Bonorum, & Contumaciæ absentiæve debitoris, nempe Missio in Possessionem bonorum ejus, aut captorum pignorum autoritate judicis venditio, nisi quod aliquando separantur bona heredis & militis. Custodiendis autem ac distrahendis bonis debitoris, sæpe constituitur Curator: & si quæ in fraudem creditorum facta sunt revocari oportet.

Lib. 43. LIBRO 43. (hujus Partis Septimo) *de Interdictis* seu *Decretis*, quæ possessionis causâ interponũtur à Magistratibus, agitur per tres & triginta Titulos. Hæc partim ex jure aliquo universali fluunt, Successione putà, vel missione in possessionem: danturque ad Possessionem rerum hereditariarum aut Legatarum adipiscendam: vel ne vis fiat; aut ut Testamenti Tabulæ exhibeantur: partim manant ex jure singulari, aut religionis causa ob loca sacra: aut ad hominum utilitatem; sive publicam veluti ob flumina; seu privatam; idq; aut ratione rei immobilis, tum soli, tum superficiei, aut servitutis prædio cohærentis, (quò referuntur Interdicta

de vi, uti possidetis, quod vi aut clam, de Precario) : aut rei mobilis (quò spectant Interdicta Utrubi & Salvianum, quæque pertinent ad exhibendos homines liberos.) Atque hùc usque de Actoris partibus.

Enucleatis actionibus specialibus, quæ cujusque rei causâ in Judiciis Civilibus moventur, Libro 44 (hujus Partis Octavo) explicantur septem Titulis exceptiones reo competentes, quibus eliduntur variis de causis actiones. Exceptiones autem, quæ hîc referuntur, præcipuæ sunt quinque : *Rei judicatæ*, *Præscriptionis*, *doli mali*, *metus*, *actionis non impetratæ* & *Litigiosi*. Et quoniam Exceptionum vis ex qualitate quoque Obligationis & Actionis intelligi potest : ideò adjungitur Titulus de *Obligationibus* & *Actionibus* in genere. Lib 44

PARS SEPTIMA Libris sex ultimis à 45. ad 50. complectitur reliquos Juris articulos, qui scilicet ad Stipulationes, Crimina, & Jus Publicum spectant. VII. PARS *De Stipulationibus &c.*

LIBER 45. tres habet Titulos, quibus explanantur verborum Obligationes, per quas cæteri Contra- Lib. 45.

ctus firmari ſolent, id eſt Stipulationes Civiles & principales, tum unius, tum plurium; nec Dominorum tantùm, ſed & Servorum.

Lib. 46. LIBER 46. conſtans Septem Titulis, eſt de Stipulationibus Acceſſoriis, veluti Fidejuſſoriis: itemque de Prætoriis tam in genere, quàm in ſpecie, de Stipulationib. rem Pupilli Salvam fore, Judicatum ſolvi, Ratam rem haberi. Quibus adjiciuntur illarum ſolvendarum modi, quales ſunt Novatio, Delegatio, Solutio, & Acceptilatio.

Superiùs tradita pertinent ad Actiones & Judicia merè Civilia: Sequuntur Criminalia.

Lib. 47. Et Libro 47. diſſeritur primò de Privatis delictis, in quibus læſus quod ſuâ privatim intereſt, perſequitur. Eorum prima ſpecies eſt Furtum; ad quod refertur Actio de Tigno juncto, ſeu aliena materia ædificio adjecta; & adverſus Nautas & Caupones, de Furto ab iis quorum operâ utuntur facto, adverſus Dominum de Furto à familia commiſſo: item Arborum furtim cæſarum. Secunda ſpecies eſt Rapina, ubi & de eo agitur quod fortè ex Incendio, ruina

naufragio fuerit ereptum. Tertia species est Injuria. Deinde agitur de Criminibus Extraordinariis, quorum certa pœna veteribus Legibus constituta non est: his principaliter privatum commodum intervertitur, sed sæpe publica honestas vel securitas violatur. In his sunt *Sepulcri Violatio*, *Concussio*, *Abigeatus*, *Prævaricatio*, *Receptatorum Crimen*, *Effractura*, *Expilata Hereditas*, *Stellionatus*; *Termini motio*, *illicitum Collegium*. Adjiciuntur Populares quoque Actiones, quarum scilicet persecutio cuivis è populo patet, ob ea quæ medii generis sunt inter privata & publica Delicta.

LIBRO 48. Per 23. Titulos Publicorum Criminum persecutio & species tractantur. Publica verò dicuntur Judicia, in quibus non tantùm privatorum indemnitas, sed publica vindicta quæritur ad aliorum terrorem & bonorum securitatem. Ea Persecutio per Accusationem reorum fit, qui Custodiri solent ne Pœnam effugiant. Species Criminum sunt Læsa Principis Majestas, Adulterium, Vis Publica & Privata, Cædes & Ve- Lib. 48.

neficium, Parricidium, Falsum, Repetundarum crimen, Annona fraudata, Peculatus, Sacrilegium, Ambitus, Plagium. Hæc Judicia peragere coguntur Accusatores: alioqui ex Senatusconsulto Turpilliano puniuntur, nisi Abolitione impetratâ destiterint. Rei verò, si absint, Requiruntur: & contra negantes veritas Tormentis exquiritur. Pœnæ convictis infliguntur, Bona plerumque fisco vindicantur: aliquando damnati Restituuntur à Principe. Hæc cuncta ad primam pertinent instantiam. Sed quia utriusque Judicii Civilis & Criminalis, commune est, ut à sententia minoris Judicis ad majora subsellia in Secunda Instantia provocetur, ideo

Lib. 49. LIBRO 49. agitur priori Parte Titulis octodecim de *Appellationibus* & *Relationibus* ad Principem: *Quando*, *Qui*, & à *Quibus appellentur*, & Similibus. Posterior autem Pars Jus Publicum & peculiare tum Principis sive Fisci: tum Militum explicat, quia scilicet superiores Libri Privatum Jus dumtaxat explicuerant.

Lib. 50. LIBER 50. (qui postremus est Digesto-

Digeſtorum) duabus Partibus conſtat. Prior eſt de Jure Municipali, ubi de Decurionibus, de Muneribus & Honoribus, de Jure Immunitatis, &c. Et hùc uſque agitur de Subjectis Juris, omnique Controverſiarum materia. Poſteriori Parte quæ inſtar Epilogi eſt, abſolvitur totum opus duobus Titulis, nempe *de Verborum ſignificatione*, quo ambigua vocabula explicantur: & *de Regulis Juris*, quo axiomata & velut principia diverſarum materiarum enucleantur. Quæ duo cùm ad diverſas Juris Partes pertineant, ad nullam certam claſſem ſive ſedem redigi potuere.

MATERIARUM

Quæ in Septem Partibus, & Quinquaginta Libris Digeſtorum tractantur, Index verſibus exaratus.

JURA,[1] *Magiſtratus*, *Jus dictum*[2] *Pactaque tradit* DIGESTUM VETUS

I. *Ac Procurantes*[3] PARS PRIMA, &
Restituendos[4].

II. *Judicium*[5] statuit PARS ALTERA,
Resque[6] *Petitas*;
Atque hinc[7] *Personis*, hinc *subdita*
Prædia[8] *fundis*,
Damnaque[9], *& Erciscunda*[19] *docet*, *cum*
Religiosis[11]

III. *Credita*[12] *condicit*, *Contractus*[13] TERTIA
servans.
Qui Re perfecti[14], *aut alio spondente*[15]
ligarunt,
Robore[16] *quive carent*, *aut Compensan-*
do fatiscunt:
Et quos efficiet[17] *validos*[18] *consensio*[18] *sola*

IV. QVARTA *in Pignoribus posita*[20] *est*,
Emptique[21] *Sequelis*.

[22] Fœnore, & his qua facta Probant; & INFORTIATUM.
[23] [24] [25] Conjugiorum
Jure, ac [26] Tutelâ & [27] Curâ, Rebusque
Minorum,
[28] Testamenta [29] dabit, [30] [31] [32] Legataq; QVINTA, V.
[33] [34] modumque
[35] Falcidiæ, & quem Trebelli [36] consulta
dedere.
IN SEXTA Possessa Bona, & cum Jure VI.
Patroni,
Legitima intestati inerit Successio :
deinde
[39] Impendens Damnum, tum Vectigalia; DIGESTUM NOVUM.
Donum;
Et [40] Manumissorum causa; Tituli Do-
[41] minorum
Ac Possessorum, & litis [42] Sententia finis:
Post hæc [43] Interdictum, [44] Exceptio, Vin-
cula Juris


VII. [45] *Obligat inde Reum*, [46] *Sponsorem* SEPTIMA *Verbis*

Liberat, & Privata hominum [47] *Delicta coërcet:*

Publicaque [48] *Accusat, Pœnis & subjicit æquis:*

[49] *Appellat; Fisci & Castrorum Jura recludit:*

[50] *Muneraque & Census; & Verba ac Dogmata acervat.*



SERIES CODICIS.

TIT. XII.

I. Codicis utilitas. & divisio.

INTER Juris Justinianæi volumina eminêre hic Codex duplici Titulo videtur, tum quòd emendatius procul dubio jus, atque ad usum quotidianum accommodatius complectatur: tum quòd eam quoque comprehendat Juris partem quæ ad Christia-

na Sacra pertinet, de quibus in Digestorum & Institutionum Libris (ut pote qui ex Ethnicorum Commentariis decerpti sint) altum silentium. Quapropter hæc Legum Imperatoriarum collectio verè, ex Chrysippi sententia in L. 2. ff. de Legib. adducta, dici potest *Divinarum & humanarum rerum Regina.* Unde meritò in Juridico Systemate ac velut orbe; cùm Institutionum quatuor Libri Elementis: Pandectarum Partes septem, Planetis respondere videantur: octavam sphæram signis Zodiaci duodecim fulgentem, æmulatur quodammodò distinctus Libris totidem Codex. Quamquàm cur in Codice duodenarius Librorum numerus Justiniano placuerit, nec facile est conjicere, nec admodùm refert. Fortè Decemviralium Legum Duodecim Tabulas; fortè Platonis de Legibus totidem Libros ob oculos habuit. Sunt qui velint eum ad Assis Uncias duodecim respexisse, quasi eo numero quandam totius Juris velut hereditatem studiosis traditurum.

Id verò imprimis est observandum, æquè in Codice atque in Pan- 2. Ordo generalis.

dectis curasse Tribonianum, operi universo à Justiniano præpositum, ut ad Ordinem Edicti perpetui quàm proximè accederet. Unde factum ut, si rerum summa genera seu capita maximè generalia spectes, Series duodecim Librorum Codicis non multùm ab ea distet, quæ in quinquaginta Pandectarum Libris servata est. Utut, sit, in hoc opere varias Juris partes ita executus est Auctor, ut ad duo generalia membra revocari possisint: Publicum nimirùm, & Privatum. Publici, quod in Sacris, in Sacerdotibus, in Magistratibus consistit, duas distinxit species; Divinum nempe, sive Sacrum Jus, quod spectat ad Res & Personas Ecclesiasticas; & Humanum, quod ad Publicum Civitatis Statum spectat, consistitque in Legibus & Magistraibus, qui Leges tuentur. Privati quoque duas species statuit; Commune, quod omnibus Civibus æquè convenit; & speciale seu Privilegiarium, quod Fisco, Civitatibus, Militibus competit, & Personis in dignitate constitutis: de Magistratibus enim tum primo, tum ultimo Libro agitur, sed diverso re-

ſpectu. Priùs quippe de iis diſſeritur tanquàm Juriſdictionem exercentibus, & aliorum controverſias dirimentibus: Poſteriùs tanquàm propria Jura perſequentibus.

Primo itaque Libro de Jure Publico diſputat Imperator: & priore quidem Parte, ad quam tredecim primi Tituli referuntur, de Sacro ſive Divino, quod partim circa veram & Catholicam religionem conſervandam; partim circa falſam abrogandam, & coërcendos veræ contemptores verſatur. Poſteriore parte, (cujus materiæ reſpondet Liber Primus Digeſtorum) de Jure Publico Humano agit, cujus Species ſive Partes á 14. ad 25. Titulum excutiuntur; deinde ad finem Libri Jura exequentes Magiſtratus majores, & minores. His quædam ſpecialia, quædam communia ſunt: Propria eorum officia tum Ordinariorum, ſive Illuſtrium, ſive Spectabilium, ſive Clariſſimorum à Tit. 26. ad 42. tum Extraordinariorum Tit. 43. & 44. traduntur. Hinc Communia omnium Magiſtratuum explicantur à 45. ad 54. Tit. Denique de Minoribus, ſeu Ci- Lbi. 1.

vitatum Magiſtratibus agitur ultimis tribus Titulis.

Lib. 2. LIBER II. à quo incipit Privati Juris tractatio, ea complectitur quæ 2. 3. & 4. Digeſtorum Libris continentur: Præparatoria nempe Actionum & Judiciorum, ordinemque obtinendi Juris ſui, veluti in Jus vocationem, Pacta, Poſtulationem, Negotiorum Geſtionem, & ſimilia ad Tit. 19. Reſtitutiones in integrum à Tit. 20. ad 55. Arbitria Tit. 56. & Judicii conſtitutionem tribus Titulis poſtremis.

Lib. 3. LIBRO III. (qui reſpondet ſex Libris Digeſtorum, à 5. ad 10.) Juſtinianus *de Judiciis* in genere, deque Fori & aliis moratoriis Præſcriptionibus diſſerit prioribus ſex & viginti Titulis: tum *de Actionibus* in rem, quarum cauſæ ſunt Dominium tam univerſale quàm rei ſingularis; & *Servitutes*, de quibus à Tit. 27. ad 34. Deinde de affini actione in Perſonam, quæ domino datur ob damnum acceptum; quò pertinet Titulus 35. Denique de Mixtis Actionibus, quæ maximam cum realibus affinitatem habent; danturque, aut pro-

pter communionem, aliamve rei conditionem, de quibus à Tit. 36. ad 42. aut etiam propter factum aliquod nudum, aleæ nempe lusum, & mortui corpus illatum, de quibus sunt duo ultimi Tituli.

Liber IV. (cui consonant undecim Digestorum Libri à 12. ad 22.) à Realibus ad Personales actiones transit; & Obligationum, ex quibus illæ oriuntur, magnam partem exhibet: primo certi Condictiones proponit ex Credito & negotio gesto, sive à nobis, sive ab aliis, quorum nomine tenemur: itemque Condictiones ex Contractibus aliis qui re perficiuntur; quorum species, & regulæ generales Obligationum habentur ab initio Libri ad Tit. 34. Posteà de Contractibus agit, qui solo consensu constant, posterioribus Titulis tribus ac triginta. Lib. 4.

Libro V. tractat Imperator Actiones in Personam, tum ex speciali Contractus genere, quo persona personæ conjungitur; tum ex quasi Contractu ortæ: quæ scilicet Matrimonii, quæque Tutelæ causà competunt. Prior Pars (concordans cum Lib. 5.

23. & duobus ſequentibus Digeſtorum Libris) complectitur antecedentia Nuptiarum , Contractum ipſum & inſpectiones varias ; adjuncta etiam , ac denique ſolutionem & ejus effectus uſque ad 27. Titulum . Poſterior Pars à 28. ad 75. & ultimum pertingit , (reſpondetque Libris Pandectarum 26. & 27.) complectens Tutelæ ſpecies , adminiſtrationem Tutorum & Curatorum , ejuſque effectum cum Appendicibus nonnullis.

Lib. 6. LIBER VI. (eamdem materiam complexus , quæ habetur undecim Libris Digeſtorum à 28. ad 38.) eſt de alia quaſi contrahendi ſpecie ; de Succeſſionibus nimirùm tum Ingenuorum , tum Libertorum. Horum Succeſſio Pars eſt præcipua Juris Patronatus , ad quod referuntur Tituli octo priores. Ingenuorum Succeſſiones vel ſunt Patrumfamilias , nulli obnoxiorum conditioni ; eæque aut Prætoriæ , aut Civiles : vel ſunt Filiorumfam. vel Conditionalium. De Prætoriis Succeſſionibus ſeu Bonorum Poſſeſſionibus diſputat Juſtinianus à 9. ad 20. Tit. Civilis Succeſſio ſeu Hereditas partim ex Teſta-

mento defertur, partim ab Inteſtato. De priori genere ac Teſtamentorum Appendicibus agitur à Tit. 21. ad 54. Quatuor poſtremi ſunt de Succeſſione Filiorumfam. & corpori alicui addictorum.

LIBRO VII. (qui Pandectarum 40. ac duobus ſequentibus, partim etiam 49. reſpondet) accedit Imperator ad Actiones Præjudiciales ſive ſtatûs cauſas; tum Libertinitatis, quæ ex Manumiſſione profluit; tum libertatis, quæ liberalis cauſa dicitur, de quibus ſunt primi quatuor & viginti Tituli. His ſubjicitur tractatus de Dominii & Poſſeſſionis Titulis, qui Actionum Realium fontes ſunt, à Tit. 25. ad 41. ac denique tractatus de ſententia & re judicata, cujus causâ actio datur: deque iis, quæ rem judicatam ſubſequuntur; ſive tanquàm remedia adverſus ſententiam, veluti Appellatio: ſive ad ejus executionem, veluti Miſſio in Poſſeſſionem; quo referendi poſtremi Tituli à 42. ad 75. Lib. 7.

LIBRO VIII. (qui concordat cum Libris Digeſtorum 43. & ſequentibus ad 46. itemque cum prima Lib. 8.

parte Libri 1. & cum trigesimi noni postrema parte) exponuntur Actionum fontes alii, Possessio imprimis, quò pertinet Tractatus de Interdictis ad 13. Titulum: dein Hypotheca & Pignus, de quo à Tit. 14. ad 35. Actionum Tractatui rectè subjiciuntur Exceptiones, quæ Obligationibus opponuntur; & commune Obligationum vinculum Stipulationes; illarumque solvendarum modi, Novationes putà & Solutiones; tandemque Evictiones: quæ cuncta Obligationum adjuncta enarrantur à Tit. 36. ad 46. Subjungitur Patria potestas, Moribus seu Consuetudine introducta: quò spectant septem Tituli à 47. ad 53. ac denique Donationes, ad quas ferè referuntur postremi Tituli sex.

Lib. 9. Post Judicia Civilia, de Criminalibus agitur LIBRO IX. (cui respondent Digestorum Libri 47. & 48.) Partes hujus Tractatus præcipuæ quatuor sunt. In prima Accusatio, quæ principium est Criminalis Judicii, sex primis Titulis explicatur. In Secunda Criminum seu Maleficiorum, tam Publicorum, quàm Privatorum, sive ordinario-

ordinariorum ſive extraordinariorum ſpecies à Tit. 7. ad 39. In Tertia diſſeritur de Ordine ſeu modo procedendi adverſus reos, à 40. Tit. ad 45. In ultimo de Pœnis eorumdem à 46. ad 51.

Hùc uſque de Jure Communi. Sequitur de Jure Speciali; quod mixtum dicitur à quibuſdam, quaſi ex Publico & Privato quodammodò conflatum; complectiturque ea quæ Fiſco Principis, Univerſitatibus, Magiſtratibus ſpecialiter competunt.

LIBER itaque X. (cui Pars poſtrema 49. & prima 50. Libri Pandectarum reſpondent), tractat priore ſui parte de Jure Fiſci ejuſque Privilegiis: : atque imprimis de Tributis à Tit. 1. ad 30. Alterâ parte Jus Municipale ſeu Curiarum & Municipum munera, atque ab oneribus vacationes explicat à 31. ad 76. Titulum. *Lib. 10.*

LIBER XI. ad tria ſumma Capita revocari poteſt. Primum eſt de Speciebus Fiſcalibus & Corporibus quæ eis ſerviunt ad 12. Tit. Secundum de Collegiorum oneribus & privilegiis; à Tit. 13. ad 46. Caput tertium *Lib. 11.*

à 47. ad 77. Titulum de Rusticis Personis & Rebus, de Colonis præsertim, ac fundis Militum, Imperatoris, Rerumpublicarum, eorumque Censibus & Oneribus.

Lbi. 12. LIBRO XII. & ultimo, per Titulos duos & triginta agitur primùm de Dignitatibus, tam Senatoriis, quàm Equestri & Perfectissimatus: deque Honoribus cujusque Magistratus. Deinde à Titulo 34. ad 52. de Re Militari & Cursu Publico. Ac denique de Officialibus Magistratuum, seu Apparitoribus à 53, ad 64. Tit.

Sed ut omnis hic Ordo duodecim Librorum Codicis memoriæ mandetur, non inutile opinor fuerit sequentes versus addiscere.

ORDO

Duodecim Librorum Codicis Versibus indicatus.

SAcra dabit PRIMUS, *Leges, Legumque Ministros.*
ALTER *Jure vocat, Procurat, Restituitque.*
Judiciis Domino Rem, Jusque in Prædia Serva

Vindicat, & cuique assignat Communia TERNUS.

Actio, Contractus, Testes QUARTO *referuntur.*

QUINTUS *Connubii & Tutelæ Jura recludit.*

SEXTO *Libertos, Bona, Testamenta require.*

PROXIMUS *à sexto Manumittit, Tempore longo*

Præscribit; Litem finit, ni Provocet alter.

OCTAVO *Interdicta patent, Stipulatio, Donum.*

Accusat NONUS, *diversaque Crimina Punit.*

Fiscum & Municipes DECIMUS *cum munere ponit.*

Collegam UNDECIMUS, *Urbisque & Rustica Jura.*

POSTREMUS *Dignos, cum Militibusque Ministros.*

Ex his omnibus sufficere Justinianus censuit, si Libros Institutionum, & Quinque priores Digestorum Partes à voce Magistra in Scholis accipiant, Auditores; idque hoc ordine. Primo

ſtudiorum anno tironibus, ſeu novis Juſtinianæis, quatuor Inſtitutionum Libros, cum totidem Primæ Digeſtorum partis Libris tradi voluit. Secundo anno Edictalibus explanari alternatim juſſit, vel ſeptem Libros de Judiciis, ſive Secundæ partis; vel octo Libros de Rebus, id eſt Tertiæ partis, cum Libris quatuor ſingularibus, ex Quartâ ſcilicet Parte Librum 23. & 26. Ex Quintâ verò Parte 28. & 30. Tertio deinde anno Papinianiſtis explicari, vel Tertiam Partem, ſi Secundam priori anno audierint; vel Secundam, ſi jam Tertiæ interpretationem acceperint: idque cum tribus primis Quartæ Partis Libris. 20. 21. & 22. Anno Quarto ſanxit, ut antedictorum decem Librorum ſingularium expoſitionem accipiant, nimirùm 24. 25. & 27. ex Quarta Parte. Ex Quinta 29. 30. & ſequentium ad 36. ità ut toti illi Libri, per ſuam conſeqnentiam, nullo ex his derelicto, prælegantur Auditoribus, qui Lytæ hoc anno vocentur à verbo Græco λύω, id eſt ſolvo, quod jam Legum ænigmata ſolvere didicerint. Sextæ, & Septimæ Digeſtorum Partes lectioni Audi-

torum privatæ reſervantur; qui Codicem quoque Quinto anno (hic finis erat ſtudiorum) accuratè evolvere jubentur, jam Probytæ nuncupati, utpote Lytis Superiores.

Novellarum certa Series duabus de cauſis tradi non poteſt: tum quòd non ſervato rerum ſeu materiarum ordine collectæ atque diſpoſitæ ſunt; tum quòd ſæpe in unam & eamdem Novellam diverſos, nec ſibi ullatenùs cohærentes Juris articulos contulit Juſtinianus. Verùm Dionyſius Gothofredus varia earum Capita ad Seriem Codicis per Indicem redegit; qui huic Juſtinianæi Juris Parti præfixus eſt in ipſius Editionibus. 4. De Novellarum ordine.

De iis, quæ ad Juris Romani hiſtoriam ſpectant, aliiſque hoc Libello comprehenſis, qui plura volet, Jo. Nevizanum, Lud. Gomezium. Jo. Fichardum, Joannem Baptiſtam Zilettum, Joannem Wolfgangum Freymonium, Marquardum Freherum, Jacobum Cujacium, Guidonem Pancirolum, Jacobum Gothofredum præ cæteris conſulere poterit; eoſq; qui de Legibus, præter jam laudatos ſcripſerunt, in quibus & Lipſius. 6. A quibus hæc fuſius tradita.

FINIS.

Summa Privilegii.

REgis Christianissimi Rescripo dato apud Sanctum Germanum, die 16. Januarii anni 1678. cautum est, ne quis in ipsius Regno, aliisve locis ditioni ejus subjectis, Librum, cui titulus est, *Historia Juris Civilis Romanorum*, intra sexennium à die publicationis Exemplarium numerandum, absque autoris Joannis Doujat permissu, prælo subjicere aut vendere audeat, indictâ ei qui secùs fecerit mulctâ duorum millium librarum, atque exemplarium publicatione, prout ampliùs in ipso diplomate continetur, subscripto de mandato Regis JUNQUIERES, atque in acta Typographorum Parisiensium relato die ultimâ ejusdem mensis per EDMUNDUM COUTEROT Syndicum.



INDEX RERUM JUXTA ORDINEM ALPHABETI.

A

B

C


CI.

COD

COM

CON

DI



ADDENDA

Ad Cap. I. §. 5. pag. 15.

De Senatu & Senatusconsultis.

QUæsitum est ex me nuper quæ Senatus Romani in Rep. potestas esset, in quibus ea maximè versaretur, an, & quibus in causis, aut quatenus Senatusconsulta pro legibus essent. Constare enim aiebant tum Belli, Pacisque ac fœderum, tum Legum condendarum, & creandorum Magistratuum arbitrium penes universum populum fuisse. Et quamvis in iis rebus autoritatem suam Senatus interponeret, eamque populus plerumque sequeretur: attamen liberum populo fuisse ab eo quod Senatus censuisset, discedere. Neminem quoque latere, judicia, nec Privata, quæ de re familiari; nec Publica, quæ de criminibus sunt, in Senatu disceptari olim solita: sed illa quidem à Prætoribus vel per se, vel cum assessoribus, sive ex Senatorio, sive ex equestri ordine delectis; hæc à Quæstoribus, extra ordinem, prout res inciderat, à populo constitutis; post à Prætoribus cujusque criminis causâ creatis, aut in comitiis à populo exercita fuisse. His autem detractis, non satis apparere, quæ partes essent Senatus, quidve ejus potestati relictum. Hæc nec veteres, nec, quod sciam, recentiores satis enucleasse videntur, collectis in unum, ut par erat, rerum generibus, de quibus consuli Senatus consueverat, & in quibus ejus præ-

De Senatus potestate.

ſertim elucebat autoritas. Ego, etſi rem eſſe longioris diſquiſitionis haud ignoro, non ingratum ſtudioſis fore putavi, ſi, donec materia hæc pleniori tractatu explicetur, lucem ei aliquam afferre conarer. Quod non aliâ commodiori viâ fieri poſſe viſum eſt, quàm ſi raptim, ex Livio qui mihi præ manibus, congeſta indicarem capita quæ memoriæ ſuccurrerent. Hæc vel ad ea referebantur quorum ſummum jus apud populum; aut ad alias cauſas pertinebant.

Circā bellum & bellica.

Nova quidem bella novis hoſtibus populus plerumque, autoribus patribus, indicebat: ſed ubi de repellenda quotidianorum, ut ita dicam, hoſtium vi aut injuriâ agebatur; nonnunquam Senatus bellum jubebat; ut plurimùm bello gerendo delectum haberi imperabat, non expectato populi conſenſu; ſæpe reluctante plebe. Stipendium quoque de publico militibus innumeros delectu habito relatis, præſtari cepit Senatuſconſulto; quandoque & voluntariis datum. Juſſi etiam à Senatu, ſocii ſociis auxilium ferre. Idem nonnunquam dividi prædam ſtatuebat. Denique belli gerendi rationem ſæpenumerò Conſulibus aliiſve Magiſtratibus præſcribebat.

Circa Pacem & Fœdera.

Pacis præterea componendæ, atque imprimis Induciarum hoſtibus certâ lege concedendarum Patres vel primi, vel ſoli autores erant: eoſque, qui in re præſenti pacis conditiones ferrent, delegabat. Idem, in civilibus diſcordiis, iis qui adverſus placita aliquid feciſſent, pœnam conſtituebat: & ſecuritati ad concordiam atque ad officium ſuum redeuntium proſpiciebat, decre-

to interposito, ne cui secessio, aliudve simile fraudi esset; aut ut quis ab exilio revocaretur. Fœdera Senatus simul populusque Romanus inibant; jure civitatis & connubii populos benè de Rep. meritos donabant. Sed Legati exterarum gentium, mandata earum in Senatu exponebant, qui & iis ferè responsa dabat: & privatis honorem hospitii publici impertiebatur. Soli quoque Senatores externas legationes obire soliti.

Circa Leges & Judicia.

Ut prisca fœdera, ita & leges conquiri ac servari curabat Senatus: has nonnunquam temperabat, vel antiquandas censebat. Quod ad publica judicia attinet, de criminibus quæstiones decernebat, reosque in custodia haberi, aliquando & ultimo supplicio affici, aut vinculis jubebat, seu coerceri, seu liberari.

Circa creationem & officia Magistratuum.

Jam in Magistratibus creandis, licet per se solus non interveniret Senatus, sed ex suffragiis quæ in comitiis populus aut plebs ferebat, tota ea res penderet, nisi quatenus autoritate gratiaque plurimùm in hoc quoque Senatores poterant: certum nihilominùs est in hac præcipuè Reipublicæ parte valuisse dignitatem potentiamque Senatus. Nec modò in iis quæ ad exequenda Magistratuum munera pertinebant; sed in genere quoque Magistratuum deligendo. Et primò quidem Provincias, etsi quam quisque susciperet plerumque inter se comparabant aut sortiebantur Consules ac Prætores: quandoque tamen eas extra ordinem partiebatur, atque huic vel illi Senatus assignabat: alios ad bellum proficisci, alios in urbe manere jubebat: numerum legionum atque auxiliarium, aut na-

vium, pro belli gerendi ratione, definiebat. Prout res ab unoquoque gestæ, ita Triumphum, Ovationē, supplicationes plurium pauciorumve dierum, indicebat, vel negabat: aliquando Magistratu ante diem se abdicare cogebat: nec expectato comitiorum die alios jubebat creari. Deinde qualia fierent comitia Summorum Magistratuum creandorum, Consulum verbi causâ, an Tribunorum Militarium, præfinire: Interreges etiam, ubi opus, dicere: & quod caput est, Dictatorem (qui supra cæteros omnes Magistratus eminebat, iisque imperabat, ac sine provocatione liberum habebat administrandæ Reip. arbitrium) à Consulibus, Tribunisve militum dici jubere; eamque potestatem ultra præscriptum continuare: denique supremos Magistratus plenâ potestate imperioque armare, decernendo ut viderent ne quid Resp. detrimenti caperet, per se poterat Senatus. Invenio & ejus decreto Tribunos plebis à Pontifice maximo creatos.

Circa alia. Præter hæc, Patrum erat justitium in re trepida, subitisque periculis indicere: Colonias deduci, agros devictorum hostium dividi jubere, ejusque rei curam triumviris ferè ex suo corpore selectis mandare. Tandem in iis, quæ ad religiones spectabant, non exigua fuit ejus ordinis autoritas: quandoquidem non solùm de his consuli Pontifices, inspici fatales libros; sed profanatas etiam Ædes Sacras restitui, atque expiari decreto suo præscribebat.

Quando firma Senatuscon- Verùm horum pars magna, fateor, post constitutam Tribunorum plebis potestatem

vacillabat, ut quæ his intercedentibus, ac, si vel unus ex eorum collegio obstaret, exitum nequaquam sortirentur ; nisi fortè alii collegæ ea probarent. Cessante autem intercessione, valebant pro lege Senatusconsulta, idq; ex rei decretæ natura; sæpe in annum quòd res ita ferret, veluti cum de officio Magistratuum annuorum quid decretum erat ; aliàs in perpetuum. fulta jus facerent.

Ad Cap. 2. §. 3. pag. 35.

De nomine Infortiati.

DE hujus nominis origine, quam è Chaldaïcæ Linguæ fontibus apud Accursium deduci videbam, consultus à me Clarissimus Collega Claudius Capellanus, Sacræ Theologiæ è Sorbonæ Collegio Doctor, & Literarum Hebraïcarum Professor Regius, peritissimus idem Linguarum Orientalium; primò quidem mecum senserat ejusmodi vocabulum idiomatis Chaldaïci formam non satis redolere. Aliquo tamen post tempore, evolventi ei Joannis Buxtorfii Lexicon Chaldaïcum, Talmudicum, & Rabbinicum, occurrit parùm cognita, nec usu vulgari trita vox, & radice carens (quæ quidem cum ea sensu cohærere videatur) : sed nec Literis multùm abhorrens à re quâ de agitur, & significatione apprimè conveniens Cùm enim Digestorum Libri, qui *Infortiati* nomine continentur, circa *Testamentorum* Jus versentur magna ex parte : פורטיתא, (quod & *Portitha* & *Fortiatha* legi potest) pro *Testa-*

mento & ultima hominis voluntate ſcripto comprehenſa, invenitur pag. 1813. ex Talmude Babylonico, ubi, Sanhedrin fol. 96. 2. habetur שדא פורטיתא לביתיה *projecit teſtamentum in domum ejus.* Dictionarium Judaïcum, quod vocant *Baal Aruch*, legit פירטא, *Pireta.* Fieri itaque potuit, ut non nemo, accepto à Rabbinis eo vocabulo; cùm de materia Teſtamentaria ageretur; ſive per ludum, ſive, ut ſe venditaret, dixerit *in Fortiato* pro in Teſtamento; indeque ad eam Juſtinianæi Juris partem, quæ media eſt inter vetus & novum Digeſtum, agitque *de Teſtamentis*, manaverit hæc appellatio.

ERRATA
in Contextu.

ERRORES.	Pagina.	Linea.	CORRECTIONES.
Novi Triumviri,	10	8	*Novi Decemviri.*
Facultas concessa non est,	18	15	*Facultas concessa est.*
De Origine,	24	ult.	*De Origine Juris expectatur.*
Sequuntur conjicit,	25	25	*Sequutum conjicit.*
Ant. Valent,	28	2	*Antecessoris Valentini.*
Non servari suo tempore,	39	21	*Non servatum suâ ætate fuisse.*
In Provinciis spectabant,	45	10	*In Provinciis servanda spectabant.*
ἀναχάχρον,	47	22	*κάθαρον.*
Novam, sive ejus operis repetitam prælectionem,	48	22	*Sive novam ejus operis expurgationem, & repetitam prælectionem.*
Anno ab orbe condito,	55	27	*Anno ab orbe condito secundum Græcos.*
Non modò Gothis, sed & Francis,	72	8	*Non modò Gothis, & Longobardis, sed & Francis.*
Balusius ad Agobardum,	72	20	*Balusius observat ad Agobardum.*

Legibus, Noribusque nostris, 87	12	*Legibus moribusque nostris.*
Is taque, 75	17	*Is itaque.*
Olradusde Ponte, 102	6	*Oldradus de Ponte.*
Antonio Gomezium, 104	25	*Antonium Gomezium.*
Oinotonii, 105	9	*Oinotomi.*
Per Titulorum subtilitatem Judices qui Paratitla nuncupantur, quædam admonitoria facere, 110	20	*Per Titulorũ subtilitatem aliquid annotare, & ea quæ Paratitla nuncupantur, componere.*
Ad rem pretiumque 136	12	*Ad rem pretiumve*
Mixtæ, scilicet actiones, 142	28	*Actiones scilicet.*
Appendicem superioris, 145	21	*Appendicem quandam superioris.*
Est etiam appendix, 245	20	*Est etiam velut appendix.*
Legatis autem accedunt vitia sive accidentia quædam, 155	9	*Legatis autem accidunt vitia sive adjuncta quædam.*
3. Inutilitas, si quid pœnæ nomine relictum esset, aut alias ab initio non valeret, 155	12	*3 Inutilitas veluti olim si quid pœnæ nomine relictum esset, aut si aliàs Legatum ab initio non valeret.*
Quædam vitia efficiunt, 155	16	*Quædam efficiunt.*
Quâ servi quoque universitatum, 160	14	*Quâ solâ servi universitatum.*

Sequutâ manumissione non valet, 160	19 *Sequutâ manumissio non valet.*
Tit. XII. 170	12 Cap. XII.
Moribus seu Consuetudine, 178	16 *Moribus, vel antiquissimâ lege.*
De rebus municipalibus seu Juribus civitatis, 179	28 *De Collegiorum oneribus & privilegiis.*

in Margine.

Nomoca Phot. non 54	*Nomocanon Photii*
opera necnon recenseantur, 106	*Opera non recenseantur.*
Lbi. 173	*Lib. I.*